
3 1761 07490062 2

Ex libris
Antonii Nolkey

Explanatio

Juris Naturae

Politici,

Adami Brezanóczy

J. U. D. olim in Academia Regia Posoniensi Juris Naturae Publici, et Gentium Proffessoris Publici Ordin.

Editio altera.



Pestini,

Typis Ludovici Landerer de Füskút.

1824.





PARTITIO OPERIS.

Jus Publicum Universale.

Caput I. De Anarchia, et fine civitatis.

Caput II. De civitatis nexu, ejusque jure generatim.

Caput III. De civilis imperii proprietatibus.

Caput IV. De jure ferendarum legum.

Caput V. De suprema imperantis inspectione, et jure politiae.

Caput VI. De potestate imperantis exequente.

Caput VII. De jure circa bona, et munera civitatis.

Caput VIII. De jure imperantis circa religionis negotia.

Caput IX. De officiis eorum, qui gubernant civitatem.

Caput X. De officiis subditorum civitatis.

Caput XI. De forma imperii, et quidem simplici.

Caput XII. De forma imperii mixta.

Caput XIII. De modis acquirendi imperium civile.

Caput XIV. De modis, quibus imperium civile desinit.

Jus Gentium.

Jus Publicum Universale.

Caput I.

De Anarchia, et fine civitatis.

§ 1.

Anarchia est societas hypothetica ex pluribus familiis communis securitatis causa sed absque communi imperio composita: quia est status, in quo unus paterfamilias jus perfectum, et affirmativum habet in alterum, ut ad mutuae defensionis finem junctis viribus conspiret, talis autem status est societas hypothetica. *Anarchia sic coaluit:* Patresfamilias non poterant suae domesticae societatis finem obtinere sine securitate, securitatem vero sine ceterarum familiarum auxilio, quia unus quisque patrum familias tantum domesticorum numerum nec reperire, nec alere semper potuit, quantus requirebatur ad repellendam injuriarum vim, ergo debebant se cum aliis patribus familias ad communem securitatem unitis viribus obtinendam conjungere, et *quidem pacto,* quia secus auxilium non fuisset certum, nam obligatio naturalis alios juvandi est imperfecta, pactum vero parit obligationem perfectam. *In Anarchia non fuit commu-*

mu-

mune imperium, quia sociorum obligationes non arbitrio imperantis, sed tantum ex natura pacti determinantur.

Equidem Anarchia non excludit auctoritatem, *seu exstimationem alicui ob speciales dotes, puta senium, fortitudinem, prudentiam tributam.* Auctoritas tamen non est imperium, quia talis actiones sociorum non determinat pro suo arbitrio, sed tantum svasione agit, et consilio, quae per se non obligant. *Certum etiam est Anarchiam componi ex societatibus inaequalibus*, ipsa tamen aequalis est, quia patres familias libertati a subjectione non renuntiarunt, sed se tantum pacto obligarunt ad ferendum auxilium, neque enim omne pactum inducit subjectionem.

§ 2.

Commoda Anarchiae erant, quod in ea existentes homines habuerint jura libertatis, aequalitatis, belli, et pacis; quia haec jura connata sunt, ergo cuilibet homini tamdiu insunt; donec iis per subjectionem non renuntiet, jam autem in Anarchia nulla fuit subjectio, quia nullum imperium. *Attamen* his commodis non obstantibus Patresfamilias in civitates abiverunt, in quibus illa naturalia bona cum subjectione, inaequalitate, et aliis incomodis permutare debuerunt, quia in civitate datur imperium. Hujus rei causam nosse nostra plurimum interest, quia ex causa finem civitatis, ex fine autem ejusdem jura, et obligationes cognoscemus, principium enim objectivum cognoscendi jura, et obligationes alicujus societatis est finis ejus.

§ 3.

§ 3.

Incommoda libertatis, et Anarchiae: defectus securitatis, quia quamdiu homines in vita segrege vivebant, nec jure suo quiete frui, nec quod ab aliis tribuendum erat, tuto consequi, nec contra aliorum insultus se tueri soli poterant propterea, quod multi homines sive exiguo praediti ingenio, sive justitiae, et aequitatis immemores propriis tantum cupiditatibus fraena laxaverint, ideo etiam Anarchiam constituerunt. Verum etiam in hac fuit defectus securitatis. Quia cum in ea nullum fuerit imperium, nemo patrum familias ab alterius pendebat arbitrio, unde factum, ut, quod medium ad commune bonum provehendum uni placuit, alteri idem displicuerit et sic inter socios licet probos orta sunt odia, dein bella intestina, Denique oppressiones ab extraneis. *Atque iste defectus securitatis fuit causa, quod patresfamilias civitates condiderint.* Quia quilibet homo naturali stimulo incitatur ad quaerendam hujus vitae felicitatem, quae in non interrupto perfectionum progressu consistit, sed illam sine securitate obtinere non potest, nam sine securitate nec animi, nec corporis, nec status externi perfectiones satis tueri, multo minus augere licet: ergo quilibet homo obligabatur quaerere securitatem, hanc autem nec in vita segrege, nec in Anarchia invenerunt patresfamilias ob defectum imperii, ergo debebant de tali societate cogitare, in qua arctior esset virium, et voluntatum conjunctio ad

se-

securitatem obtinendam, seu commune imperium, ut ita voluntates singulorum totius communitatis voluntati subjicerentur, atqui talis societas est civitas, ergo.

Non objicias: homines obligatos fuisse conservare sua jura naturalia libertatis, et aequalitatis. Quia conflictus officiorum erga se fecit, ut debuerit pro securitate fieri exceptio. *Sed amittendo patresfamilias libertatem, et aequalitatem se imperfectiores reddiderunt.* Minime gentium, nam majus bonum sunt consecuti, videlicet securitatem, sine qua libertas, et aequalitas inania sunt nomina. *Sed securitatem poterat procurare Anarchia.* Non sufficientem, nam ob ingeniorum varietatem in ea non licebat sperare, omnes per conspirationem in idem esse semper consensuros. *Sed nec in civitatibus reperitur omnimoda securitas.* Tanta tamen, quanta viribu humanis haberi potest, ad majorem autem, utpote impossibilem, non datur obligatio.

§ 4.

Civitas est coetus hominum sui juris sub eodem communi imperio securitatis fruendae causa colligatus. Hinc 1. Omnis civitas est *societas,* quia in ea plures ad communem finem, nempe securitatem unitis viribus tendere obligantur, et quidem *inaequalis,* quia in ea datur imperium: Est vero ejus forma *Monarchica,* si imperium penes unum, *Aristocratica,* si penes plures, *Democratica,* si penes omnes collectim sumtos reperiatur. 2. Obligatio condendi civitatem est obligatio securitatem habendi, quia haec quam optime in civitate deprehenditur. 3. Inter civitatem, et anar-

anarchiam haec est differentia, quod in civitate sit imperium, in anarchia autem nullum, quod in civitate major sit tam interna, quam externa securitas, atque in anarchia. *Quot vero homines ad condendam civitatem requirantur in specie determinari non potest*, quia saepe pauci possunt sibi securitatem procurare, saepe multi non possunt. Ideo erronee putavit *Plato* requiri 45. millia, *Hippotamus Milesius* 10 millia, *Apulejus* 15. homines liberos, *Valerius M.* tres familias, quia crescente malorum numero crescere etiam debet securitatem procurantium numerus. *A solis maribus*, et etiam a solis feminis potest civitas constitui, quia possunt sub communi imperio securitatis causa colligari: *Verum* talis civitas non foret diuturna, quia non esset successio, deessent enim matrimonia.

§ 5.

Socii civitatis vocantur *cives*, seu personae sui juris gaudentes juribus ex civitate profluentibus; Debent esse sui juris, hoc est, nec parentali, nec herili imperio subjecti; quia qui alteri jam subjectus est, ille se tertio subjicere priore invito non potest, et si se subjecit, potest repeti, quod promovendae securitati adversum est: Hac de causa filii familias, et servi, licet in communi civitatis territorio existant, cives tamen non sunt, quia non sunt sui juris; At imperantes sunt cives, quia et sui juris sunt, et habent jura maxima ex ci-

civitate profluentia. *Hinc* cives alii sunt *imperantes*, alii *parentes*, quia diversa sunt jura civilia illorum, penes quos est imperium, a juribus eorum, qui obedire obligantur. *Civitas subsistit*, etiamsi ex pluribus dissitis provinciis componatur, quia propterea cives sub communi imperio securitatis fruendae causa colligati esse possunt; *Sed etiam* illud aliquando accidit, ut unus sit rector diversarum civitatum, v. g. Hungariae, Bohemiae, Austriae, quia non repugnat, ut una persona singularis in pluribus a se quoad fundamentalia pacta distinctis civitatibus imperium habeat.

§ 6.

Finis civitatis primarius est securitas, quia unice ob securitatem patresfamilias civitatem condiderunt, hac enim ad habendam felicitatem quam maxime indigebant, sed nec in vita segrege, nec in anarchia, verum in sola civitate deprehenderunt: Possunt quidem etiam alii secundarii fines assignari, v. g. commoditas vitae, promotio commercii etc. hi tamen omnes primario tanquam radici inhaerent, quia sine securitate obtineri nequeunt: Omnes tamen debent esse honesti, quia societas ob inhonestum finem unita non est societas, sed turba, et multitudo sceleratorum.

Plato asserit causam condendae civitatis fuisse indigentiam hominum. Verum penuria rerum inter homines non evenisset, si omnes intellectus, et voluntatis perfectioni studuissent, si nemo fuisset otiatus, si nemo justitiae, et caritatis officia violasset. *Deinde*

con-

constat primam civitatem statim potest diluvium fuisse conditam, dum nulla erat rerum indigentia, homines enim erant pauci, res vero copiosae. *Aristoteles eam repetit a stimulis naturalibus, a socialitate.* Sed haec sententia duplicem habet sensum: 1. quod stimuli naturales *absolute*, 2. quod *hypothetice* coëgerint homines intrare civitatem; in primo sensu falsa est, quia stimuli naturales absolute considarati volunt homines esse liberos a subjectione, ergo non cogunt intrare civitatem, in qua subjectio est, secus sibi contradicerent: In secundo autem vera est, quia volunt, ut in conflictu majus bonum eligamus, nempe securitatem potius in civitate, quam sine securitate jura libertatis, et aequalitatis. *Socialitati* vero satisfit per societates minores, et aequales extra civitatem positas, qualis est v. g. conjugalis.

§ 7.

Ita etiam illorum sententia, qui civitatem ex ordine naturae, sive ex lege naturali derivari arbitrantur, duplicem admittit significationem: *Vel* quod absolute, *vel* quod hypothetice debuerint homines concedere in civilem coetum; primum admitti nequit, quia ex sola natura nemo alteri subjectus est, secundum autem concedi debet, quia profecto recta ratio, atque adeo lex naturalis dictavit, ut homines conderent civitatem securitatis causa, sine qua felices esse non poterant, et quam extra civitatem sperare non licuit. *Cum hac sententia coincidit etiam illorum doctrina*, qui Deum faciunt civitatis auctorem, quia Deus rationis, et legis naturalis est auctor, voluit itaque De-

us

us non quidem absolute, sed hypothetice homines esse in civitate, quia praecepit, ut in conflictu majus bonum praeferamus minori. *Hinc autem* manifestum est, civitatem in genere consideratam, hoc est sine determinato territorio, civibus, et forma imperii esse societatem inter homines omnium perfectissimam, quia Deus illam jam antecedenter ineundam esse praecepit, et initam approbat, quod ipsum sacri codices confirmant: Rom. 13. *Non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.*

Non moveare autem, quod D. Petrus Ep. I. c. 2. vocet civitatem ordinationem humanam. Quia loquitur de civitate in specie, seu de tali, quae in certo loco, sub certa imperii forma constituta existit.

§ 8.

Illi, qui civitates metu impellente excitatas fuisse affirmant, nobiscum sentiunt, quia qui timent, securitatem quaerunt, quam nonnisi in civitate poterant invenire.

Non dicas: sufficientem securitatem poterat hominibus praestare sola lex naturalis. Quia non custoditur ab omnibus. *Vel metus Numinis.* Quia ejus vindicta plerumque ad futuram vitam differtur. *Vel conventiones de non laedendo.* Quia etiam tales facile violantur, nisi possint perfidi ad fidem datam servandam unitis viribus compelli.

§ 9.

Sunt denique nonnulli, qui civitatem fuisse violentia constitutam contendunt: *Si per id intelli-*

li-

ligant homines violentiam metuentes in communem coetum mutuae securitatis causa abivisse, non contradicimus, quia tunc civitas ob securitatem est inita; *Si vero ita explicent*, ut ipsum imperium initio sola coactione, et potentia physica fuerit stabilitum, solemniter negamus; quia tunc prima civitas vel fuisset democratica, vel aristocratica, vel monarchica, sed nihil horum dici potest: *non democratica* tunc enim singuli sibi ipsis vim intulissent, et tamen imperium non penes singulos, sed penes omnes simul sumtos mansisset, quod contradictorium est, *non aristocratica*, tunc enim pauci multorum vires debuissent superare, quod repugnat, *non monarchica*, nam tunc unus debuisset totam multitudinem debellare, quod adhuc magis impossibile est.

Dicunt illi quidem 1. *primam civitatem fuisse conditam per vim improborum, cum probi inter se fuerint satis securi.* Sed *imprimis* male cohaeret, improbis tale institutum attribuere, quod ex custodia legis naturalis hypotheticae ortum habet: *Deinde* ponamus ab improbis fuisse conditam civitatem, non enim repugnat malos sibi metuentes quaerere securitatem, et aliquas leges naturales observare, non sequitur tamen eam per vim consurexisse, societati enim omni, in qua adesse debet unio voluntum, coactio physica adversatur. *Denique* licet probi inter se satis fuerint securi, non erant tamen securi ab improbis. 2. *Cainus homo improbus primus fuit, qui civitatem condidit. Gen.* 4. Ita, sed civitatem in sensu vulgari, id est collectionem casarum maceria, vel sepe viridi cin-

cinctam sub domestico imperio, et quidem propter securitatem 3. *Nimrodus statim post diluvium civitatem in sensu juris constituit per vim, homines enim subjugabat. Gen* 10. Negatur, nam sacra scriptura eum tantum robustum venatorem ferarum, quarum copia homines infestaverat, describit. 4. *Saltem turrim babilonicam aedificantes improbi erant, per illam enim volebant sibi nomen facere, id est superbiam alere, et ideo confusione lingvarum puniti.* Verum hi jam ante suam turrim erant in civitate, atque illa turris non superbiae, sed metus fuit effectus, vox enim hebraica *schem* non denotat nomen, sed signum, quod nimirum possent respicere, si quando in venatione procul dilaberentur; neque puniti sunt ob superbiam, sed quia contra voluntatem Dei, qui illis totum orbem inhabitandum destinaverat, uniti volebant permanere. 5. *In sacris litteris fit mentio Gigantum, seu opressorum. Gen.* 6. *quo pertinent venatores, qui armati pastores inermes, et agricolas sibi subjecerunt. Gen.* 36. *In specie autem Esau regnum sibi condidit, et Choreos, profligavit. Deut.* 2. Equidem poterant se homines ad alios subjugandos conjugere, verum haec conjunctio supponit praecesisse aliam unionem voluntatum, et societatem quandam civilem absque vi, nam incredibile est, ut homines ad communem aliquem finem se fortuito conjungant. 6. *Maxima regna velut Graecorum, Romanorum violentia potissimum increverunt.* Certum est, sed nobis non est sermo de incremento, sed de origine civitatum; neque consideramus finem *historice*, ob quem civitas condita aliquando est, sic enim teste *Cicerone Off. c.* 6. aliqua potuit coalescere aut ex benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis praestantia, aut spe largitionis, quod cum a facto singulari dependeat, hi-

historicae cognitionis est, sed spectamus finem civitatis *philosophice*, ob quem omnis civitas condi debuit, hic vero, quatenus ex natura civitatis sola ratione cognoscitur, est securitas, et pertinet ad cognitionem philosophicam.

Caput II.

De civitatis nexu, ejusque jure generatim.

§ 10.

Nexus civitatis est modus, quo patresfamilias vires suas, et voluntates conjunxerunt ad condendam civitatem: Ad hunc Puffendorfius requirit *primo* pactum unionis, *secundo* decretum formae, *tertio* pactum subjectionis. *Pactum unionis* est conventio, quam singuli cum singulis in statu naturali viventibus iniverunt, quod velint in unam societatem abire, et suam securitatem communi consilio administrare. Huic pacto eam vim tribuit Puffendorfius, ut illi, qui illud absque ulla conditione determinati regiminis celebrarunt, amplius a societate recedere non possint, quaecunque demum imperii forma fuerit electa. *Decretum autem formae* est determinatio personae, cui imperium civile debeat inhaerere, ut nimirum vel unus, vel plures, vel omnes collectim cives imperent. Cujus decreti ea est vis, ut illi teneantur illud acceptare, qui pactum unionis pure iniverunt, non autem illi, qui sub conditione alteri-

rius imperii formae in societatem consenserunt. *Denique pactum subjectionis* est conventio, vi cujus singuli electo per decretum formae imperanti obedientiam spondent.

§ 11.

Verum entia non sunt multiplicanda sine necessitate: Ad nexum civitatis efformandum sufficit solum pactum unionis, quod tamen praecedere debuit *physica quaedam patrumfamilias ad eundem locum congregatio*; quia secus de constituenda civitate nec tractare, multo minus pacisci potuissent, omne enim pactum requirit consensum utrinque sufficienter declaratum. Haec autem congregatio non provenit a conventione, sed facto quodam fortuito, sive quod homines diu per orbem erantes casu ad eundem locum delati sint, sive, quod a communi stipite progeniti, et in varias familias distributi in vicinis terrarum spatiis jam antea simul permanserint, uti de Achaeis narrat. *Justi. Hist. L.* 34. Non *a conventione*, quia si congregatio debuisset a praevia conventione proficisci, cum etiam conventio supponat congregationem, tunc conventionum, et congregationum datus fuisset progressus in infinitum, primam enim congregationem debuisset praecedere conventio, hanc congregatio, istam iterum conventio, hanc iterum iterumque congregatio, et sic porro, quod absurdum est, *ergo provenit a facto fortuito*, quia ejusmodi congregatio hominum ex natura absolu-

solute considerata non intelligitur, est enim factum, ergo debuit fieri vel conventione, vel casu, nam facta vel sunt voluntaria, vel fortuita, jam autem ex conventione non processit, ergo ex facto fortuito.

§. 12.

Quod vero solum pactum unionis sufficiat ad condendam civitatem, ita demonstramus; *Primum*: posito pacto unionis ponuntur omnia essentialia civitatis, 1-mo *caetus hominum sui juris*, pactum enim unionis celebrarunt homines in statu naturali viventes. 2. *communis securitas*, qui enim pactum unionis iniverunt, promiserunt se velle suam securitatem administrare. 3. *commune imperium*, pacti enim unionis ea est vis, ut illi, qui in illud sine ullius formae exceptione consenserunt, amplius a societate recedere non possint, cujus rei non est alia ratio, quam quod voluntatem suam imperio universorum submisserint, sciverunt enim civitatem sine imperio esse non posse. *Deinde* ex mente Puffendorfii posito pacto unionis possunt socii formam regiminis determinare, imperium vel uni, vel pluribus dare, ergo illud penes universos jam praevie adesse debuit, nemo enim dat, quod non habet. *Denique* si pactum unionis non sufficeret ad condendam civitatem, tunc rege electivo mortuo, vel deficiente familia regnatrice populus incideret in anarchiam, quod absurdum est. *Conf. Car. Ant. de Martini posit. de jure civitatis* 480.

At inquies ex solo pacto unionis nullam intelligi formam regiminis. Enim vero intelligitur forma democratica, nam qui in societatem civilem, quae sine imperio nec concipi potest, consentit sine ullius formae exceptione, id, quod naturale est, voluisse judicari debet, nimirum suam voluntatem imperio universorum subjecisse, hoc enim quam minimum primaevae ejus libertati detrahit, jam autem hoc est forma imperii democratica. *Sed si populus democratiae praeferret aristocratiam, vel monarchiam, opus esset distincto decreto formae, et distincto pacto subjectionis, ergo etiam,* Disparitas est: Per aristocratiam, et monarchiam multo magis imminuitur libertas naturalis, quam per democratiam, cum ergo nemo invitus possit suis juribus privari, ad illas formas introducendas necessarius est distinctus consensus. *Sed etiam in democratia debent eligi personae, quae quotidiana negotia expediant.* Omnino, sed hoc fit ex praehabito jam imperio, secus nec illae personae suum officium gerere, nec illis alii obedire obligarentur. *Deinde* aliud est *constitutio*, aliud *ordinatio* civitatis, illa est conventio, qua civitas consurgit, haec autem est electio mediorum, quae ad finem civitatis consequendum magis idonea judicantur: Ab initio ordinare civitatem pertinebat ad universos, quia universi obligabantur promovere civitatis finem, qui sine mediis obtineri nequit, sic poterant imperium vel penes se retinere, vel uni, aut pluribus sub nulla, vel sub certa conditione concedere; Ad hanc ordinationem pertinebat etiam electio personarum pro expediendis quotidianis negotiis, secus in monarchia quoque, ubi talibus personis opus est, ad ejus constitutionem deberet referri, quod tamen hactenus nemini incidit affirmare. *Sed haec doctrina adversatur fidei histori-*

cae,

cae, secundum quam primae civitates erant monarchicae. Nequaquam, si ordinationem civitatum spectemus, etsi enim civitates quoad constitutionem ponamus fuisse democraticas, multae tamen, ac graves poterant esse causae, ob quas populo monarchia praeplacuit. *Sed tale fuisse pactum celebratum verbis expressis probari non potest.* Quia sufficit tacitum, si v. g. imbeciliores ab iis se regi patiantur, de quorum justitia, et prudentia magnam habent opinionem, nam pacti taciti eadem est vis, quae expressi.

§. 13.

Proprietates civitatis sunt: Quod sit *societas legalis*, quia civitatem lex naturalis hypothetica praecipit, et etiam *pactitia*, quia pacto unionis constituitur. Quod sit *una persona moralis*, quia quaelibet societas efficit unam personam moralem. *Quod respectu illorum*, qui non sunt de civitate, vivat in statu naturali, quia aliis nec ex lege, nec ex pacto est subjecta. *Quod sit unum corpus politicum*, quia corpus politicum est societas plurium personarum physicarum, quae omnes unam personam moralem efficiunt, talis autem societas est civitas. *Quod* propria jura, et obligationes habeat, quia habet proprium finem, ex quo jura, et obligationes deducuntur. *Quod sit societas perpetua*, quia cives praesumuntur non tantum sibi, sed etiam suis posteris de securitate prospicere voluisse. *Quod sit societas immortalis*, quia novi semper socii in eamdem succedunt per generationem. *Quod*

idem populus maneat post innumeros etiam annos, quia idem pactum unionis, quo civitas coaluit, perdurat.

§ 14.

Civitas quoque legibus instructa esse debet, quia nulla societas sine legibus stare potest: Sunt vero leges civiles aliae *publicae*, quae ad totum populum pertinent, aliae *privatae*, quae singulares tantum cives concernunt, item vel sunt *positivae*, quae ab arbitrio imperantis dependent, vel *naturales*, quae ex natura civitatis sola ratione intelliguntur. Et quidem leges civiles naturales sunt *universales*, id est obligant omnes omnium civitatum cives, quia ex natura civitatis deducuntur, quae in omnibus civitatibus eadem est, nimirum coetus hominum sui juris sub communi imperio securitatis fruendae causa colligatus. Praeterea sunt *perspicuae, mathematice certae, immutabiles, necessariae, aeternae*: quia his proprietatibus praeditae sunt omnes leges naturales. *Confer juris naturae theor. c.* 3.

§ 15.

Legum civilium naturalium triplex est principium: *Possibilitatis proximum* possibilitas civitatis, quia leges civiles naturales ex natura civitatis deducuntur, ergo ideo sunt possibiles, quia possibilis est natura civitatis. *Existentiae proximum* existentia civitatis, quia quamprimum existit civitas, existit etiam ejusdem finis, ergo existere

de-

debent media, et obligatio, atque lex ad illum obtinendum tendendi. *Cognitionis subjectivum* recta ratio, quia lex civilis est propositio enuntians obligationem adhibendi media cum fine civitatis connexa, jam autem ratio est facultas rerum nexum perspiciendi; *Deinde* leges civiles naturales sunt, quae sola ratione ex natura civitatis intelliguntur. *Cognitionis denique objectivum* finis civitatis: quia omnes leges naturales ex finibus rerum a Deo creatarum cognoscuntur, jam autem finis civitatis ipse Deus est auctor. *Deinde* cujuslibet societatis jura, obligationes, et leges ex fine ejusdem cognoscere licet. *Vide jur. nat. theor. cap.* 3. *et jur. nat. oecon. cap.* 1.

§ 16.

Jus civitatis jam sumitur *pro facultate morali*, jam *objective*, jam *subjective*, unde etiam *jurisprudentia* naturalis civilis profluit. Jus civitatis est pars jurisprudentiae naturalis socialis, quia complectitur leges naturales hominum in societate hypothetica maxima viventium, vocaturque *jus naturae politicum* ab exemplo Aristotelis: Hoc vel est *internum*, *seu publicum universale*, si versetur in officiis imperantium, et subditorum, vel *externum*, *seu jus gentium*, si officia unius civitatis erga aliam exponat. *Applica huc, quae dicta sunt de jure in jur. nat. theor. Cap.* 2. *et* 6.

§. 17.

§ 17.

Securitas civitatis vel est *interna*, seu status, in quo nulla mala licet praevidere a civibus, vel *externa*, seu status, in quo nulla mala impendent ab extraneis. Huic maxime repugnat periculum, quod *internum* est, si mala immineant a civibus, *externum* vero, si ab extraneis. *Hinc lex civitatis absolute fundamentalis est:* Singuli cives obligantur securitatem tam internam, quam externam pro virili promovere, quia secus non obtinebunt finem suae societatis, ergo nec habebunt salutem publicam, nec commune bonum, jam autem cujuslibet societatis salus publica suprema lex est. Et ideo si salus populi cum salute civium singulorum confligat, illa huic praeferenda est, quia in conflictu bonum minus majori, et bonum partis bono totius postponi debet. *Confer jur. nat. oecon. cap.* 1.

§ 18.

Media autem salutem publicam obtinendi generalia sunt duo: I. si efficiatur, ut nemo *velit*, II. ut nemo *possit* securitatem turbare, quia tunc nec physice, nec moraliter est possibile alios laedere. Ut vero nemo velit turbare securitatem efficitur triplici ratione 1. si quis sibi laesionem aliorum, ut malam repraesentet, seu ut virtutem colat, virtus enim est habitus leges custodiendi, 2. si nulla rerum indigentia ad illam impellatur, quia tristis experientia jam docuit, cives propter penuriam rerum

rum

rum tumultus concitasse, 3. si nocere volens majus quoddam malum pertimescat, nemo enim malum ut malum vult, voluntas autem motivis regitur. Ut denique nemo possit alios laedere, efficitur, si quis vim resistentem superare non valeat. *Hinc fluunt leges civitatis minus fundamentales:* I. ut cives in virtute informentur, *hinc deducitur jus Imperantis circa sacra, vide inferius cap.* 8. II. Ut de vitae sufficientia cuilibet pro statu suo prospiciatur, *hinc competit Imperanti jus politiae, cap.* 5. III. Ut vitia poenis efficacibus compescantur, *unde fluit jus puniendi, cap.* 6. IV. Ut promptae semper sint vires, quae hostilia meditantibus resistant, *ex hoc promanat jus armorum, cap.* 6. Quia haec sunt media salutem publicam promovendi, jam autem qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media, et quia obligatio ad finem est lex fundamentalis, obligatio ad media continet legem minus fundamentalem.

Caput III.

De civilis imperii proprietatibus.

§ 19.

Imperium civile est jus gubernandi civitatem, seu jus actiones subditorum ad communem securita-

tatem pro arbitrio dirigendi, quia in genere imperium est jus actiones alterius ad certum quemdam finem pro arbitrio determinandi. *Hoc* vi originis suae penes patresfamilias, aliosque sui juris homines, ut jus proprium residebat, quia de illo tunc poterant pro libitu disponere, nempe vel sibi retinere, vel uni, vel pluribus concedere, tale autem est jus proprium. Atque per eminentiam vocatur *Majestas*, quia omnes reliquas humanas potestates et dignitate, et magnitudine antecellit, *dignitate* propterea, quia eminentiora habet jura, v. g. jus vitae, et necis, atque ipsis humanis imperantibus imperat; *magnitudine* propterea, quia civitas est societas hypothetica maxima, omnes enim aliae societates sunt tantum partes civitatis.

§ 20.

Proprietates Majestatis sunt: I. Quod sit *independens*, hoc est, quod a nullius alterius hominis arbitrio pendeat, et ejus actus nullius juri subsint, et a nemine irriti reddi possint, quia secus non posset actiones subditorum pro suo arbitrio determinare. *Deinde* Imperans repraesentat omnes cives, jura enim sua in illum transtulerunt, jam autem cives intuitu non sociorum sunt independentes; vivunt enim in statu naturali. II. Quod sit *summa*, hoc est quod civili imperio in civitate nullum humanum imperium majus detur, quia omnes societates humanae, quae in civitatis territorio reperiuntur, cum suis rectoribus eidem subje-

ctae

ctae sunt: Et quod praeter Deum neminem habeat superiorem, quia ab omni alterius hominis arbitrio est independens.

Nihil autem contra nos facit, quod saepe successores Imperantes rescindant acta suorum antecessorum, eorumque leges mutent. Quia hoc non est dependere ab arbitrio alterius, successor enim eandem cum antecessore habet majestatem, idemque facit, quod in iisdem circumstantiis fecisset antecessor. *Neque illud, quod Imperantes aliis imperantibus per manifesta reddant rationes belli.* Quia praescindendo a pacto speciali faciunt hoc tantum ex ratione politica, ut suspicionem injusti belli a se removeant, et facilius ad ferendum sibi bellicum auxilium persvadeant.

§ 21.

III. Quod Majestas in qualibet civitate sit *una, atque universalis*, hoc est, quod nulla in territorio civili potestas eidem aequalis reperiatur; quia nullus alius rector in civitate existit, qui Majestati non subesset, illa enim est summa. *Deinde* si vel duae in una civitate Majestates existere fingerentur, tunc vel nulla esset civitas, vel duae in una civitate civitates, nam illae duae Majestates vel a se invicem dependerent, vel non, si dependerent, neutra esset majestas, ergo etiam nulla civitas, si vero non dependerent ab invicem, tunc duae forent independentes Majestates, ergo etiam duae civitates, atqui utrumque absurdum est. IV. Quod Majestas sit *individua*, hoc sensu, quod jura majestatica, quae nimirum ex natura imperii in-

intelliguntur a civitate abesse non possint: quia complexus jurium majestaticorum constituit Majestatem, jam autem Majestas est imperium civile, sed imperium civile a civitate abesse non potest.

Nihil vero dicis, si dicas in civitate successiva, quando imperans in minorenni aetate sub tutela est, duas esse Majestates. Quia tutor non habet Majestatem, non enim suo, sed tutelati nomine imperat. *Vel in forma Imperii mixta esse plures imperantes.* Quia hi partiales imperantes sunt, et simul sumti efficiunt unam plenam Majestatem. *Sed ad minimum in forma imperii mixta Majestas in partes dividitur.* Gramatice *concedo*, juridice *nego:* Et explico distinctionem: jura majestatica pluribus personis ejusdem civitatis competunt, nullum tamen a civitate abest, et hoc est Majestatem esse juridice individuam.

§ 22.

V. Quod Majestas sit apud omnes populos *aequalis*, hoc est, quod uni civitati simpliciter consideratae, seu absque respectu ad singulares circumstantias licet, id etiam alteri licet, et vicissim, quod uni non licet, nec alteri: quia jura majestatica ex natura imperii civilis deducuntur, sed natura imperii civilis apud omnes populos est aequalis, videlicet jus actiones subditorum ad communem securitatem pro arbitrio determinandi. Sicut nimirum jura hominum naturalia ideo apud omnes homines aequalia sunt, quia ex natura humana, quae apud omnes homines eadem est, intelliguntur, ita ergo etiam Majestas.

Ne-

Neque huic aequalitati quidquam derogat diversa imperii forma. Quia quaecunque sit forma regiminis, semper illud ipsum imperium viget, quod origine sua toti populo in democratia competebat, nam illud quidem in monarchia uni, et aristocratia pluribus, in forma autem composita mixtim transfertur. *Neque diversus imperium habendi modus v. g. electio, successio.* Quia modus non afficit substantiam, sic idem, et aequale est dominium, sive illud modo originario, sive derivativo, sive ex benefico, sive ex oneroso contractu acquisiverimus. *Neque diversus numerus civium, vel varia amplitudo teritorii, vel inaequalis potentia physica.* Quia haec non referuntur ad naturam imperii, sed tantum ad qualitates accidentales civitatis, ita jura naturalia aequalia habent homines, licet alii aliis statura majores, et viribus potentiores sint: *Nec denique varietas titulorum, quod alii imperantes nominentur Imperatores, alii Reges, alii Archiduces etc.* Quia hi ab arbitrio tantum imperantium dependent, ex natura autem imperii tantam in suo territorio habet potestatem Archidux, quantam in suo Rex, vel Imperator.

§ 23.

VI. Quod Majestatis principium *proximum* sit pactum, *remotum* autem Dei voluntas, hoc est, quod imperium civile immediate proveniat a pacto, et mediate tantum a Deo; quia voluit quidem Deus, ut homines intrent civitatem, seque imperio subjiciant, verum tamen nulla prius extitit civitas, quam homines Dei voluntati parendo civitatem pacto condidissent, adeoque Majestati proximius est pactum, quam Dei voluntas.

Sed

Sed Deus est immediata causa civitatis. Affirmative, si civitatem in genere consideres, non vero, si eam spectes in specie. *Sed D. Paulus Roman.* 13. *ait non esse potestatem nisi a Deo.* Ita, sed non dicit omnem esse proxime a Deo, jam autem illa etiam a Deo est, quae remote a Deo est. *Sed haec doctrina imminuit sanctitatem Majestatis.* Nihil minus, nam etiam pacta sancte sunt servanda: *Deinde* Majestas manet eadem, sive mediate, sive immediate proveniat a Deo, nam varius modus habendi Majestatem, eandem non mutat. *Denique* sanctae sunt leges naturales, licet proxime ex natura humana, et remote a Deo deriventur, ergo etiam Majestas.

§ 24.

VII. Quod Majestas sit juridice *sancta*, seu inviolabilis, quia cum violatione imperii civilis gravissima mala sunt connexa, laeditur enim tota multitudo civium, quod maximam inter alias laesiones meretur imputationem, *Deinde* dissolvitur civitas, cui tamen et sociale pactum, et Dei voluntas ita nos subjecit, ut orto conflictu teneamur propriam potius quam civitatis salutem negligere: *Denique* perit securitas, quo malo majus habere homines non possunt. *Jura majestatica mensuram accipiunt tum ex communi imperii notione, tum ex fine civitatis,* seu se ad illa omnia extendunt, sine quibus securitas in civitate haberi non potest, sed non ultra, quia propter securitatem enatum est imperium civile, quod inane esset sine jure ad omnia media necessaria obtinendi finem. Haec vero vel *immanentia, seu interna, et jura impe-*

perii speciatim nuncupantur, si in ipsos cives exerceantur, vel *transeuntia, seu externa, et jura libertatis naturalis*, si tantum extraneos concernant.

Forte tibi videtur contradictoria haec jurium majestaticorum mensura, quod vi imperii possint actiones subditorum pro arbitrio determinari, vi autem finis civitatis non pro arbitrio, sed conformiter securitati? Verum reflectito te omne imperium etiam illimitatum habere pro limite naturali finem, ob quem enatum est; Neque debes sub arbitrio intelligere licentiam, sed libertatem moralem, seu jus e pluribus mediis aeque aptis ad finem obtinendum, illud eligendi, quod maxime placet, ut adeo tunc tantum locum habeat illud procardicon: *stat pro ratione voluntas.*

§ 25.

Pactum clientelare est conventio, qua gens minus potens se in patrocinium potentioris confert. Hoc non obest summitati Majestatis, quia per illud non transfertur imperium, quia finis ejus non est subjectio, sed conservatio libertatis; quia homines in statu naturali viventes possunt se in aliorum clientelam conferre salva sua personali libertate, ergo etiam gentes. *Nec obest summitati Majestatis pactum de concedenda alteri populo quapiam praerogativa*, quod v. g. teneatur ei quaepiam signa honoris exhibere, vel ejus imperium revereri; et conservare, quia talis praerogativa non tollit independentiam, non involvit subjectionem. *Sed neque pactum de annua pensione*

al-

alteri genti solvenda, sive illam stipendium, sive tributum nominemus, obest summitati Majestatis, quia non praestatur ex subjectione, sed ex simplici conventione, quia saepe talia subsidia potentiores solvunt infirmioribus gentibus.

Si dicas gentes clientelans enatis controversiis provocare ad judicium gentis patrocinantis, scito provocare ad judicium tanquam arbitri, arbiter autem non est superior litigantium, quod enim ejus laudo stare debeant, non provenit ex subjectione, sed ex compromisso. *Sed praerogativa honoris tollit aequalitatem.* Sed non libertatem, et independentiam, sic in Anarchia licet quis habeat auctoritatem, non tamen habet imperium. *Adminimum, qui tributum debet solvere, subditus est.* Ita, si illud vi imperii teneatur praestare.

§ 26.

Denique *nec nexus feudalis* imminuit Majestatem, quia in eo non promittitur subjectio, sed certa tantum servitia, atque cura, ne quid in domini directi fiat praejudicium: *Deindè* feudum pertinet tantum ad modum habendi imperium, ergo ipsam Majestatem non afficit.

Objicitur 1-*mo Vasallum debere domino directo praestare fidelitatem, et servitia.* Sed obligatio haec limitata est, et mere conventionalis, quae imperium, et subjectionem non involvit. 2-*do vasallum subesse jurisdictioni domini directi.* Ita in causis feudalibus, idque ex contractu feudali, non vero in actibus imperii. 3-*tio Vasallum posse a domino directo ob perfidiam privari feudo.* Attamen non jure imperii,

sed

sed jure belli, hoc enim inter aequales naturale medium est vindicandi perfidiam.

§ 27.

Pactum vero *subjectionis*, si nimirum aliquis populus ab alterius arbitrio debeat pendere, vel aliqua jura majestatica ad illius tantum nutum exercere, tollit Majestatem, quia cessat independentia, quae est praecipuus ejusdem character. Et licet tunc populus suis antiquis legibus vivere permittatur, quia tamen haec tantum precaria, et ad libitum concedentis revocabilis est libertas, imperium evanescit. *Ceterum* omnia jura majestatica ad tria generalia capita possunt revocari: *Ad potestatem legislatoriam, inspectoriam, et executoriam.*

Caput IV.

De jure ferendarum legum.

§ 28.

Lex civilis in sensu lato, est propositio enuntians obligationem civilem, quia in genere lex est propositio enuntians obligationem: *In sensu autem sricto lex civilis* est voluntas imperantis sufficienter declarata, ut subditi actiones suas ad illam componant: Quia lex civilis in sensu lato est propositio enuntians obligationem civilem, jam autem civilis obligatio est, ut subditi actiones suas

vo-

voluntati imperantis accomodent, juri enim imperandi ex parte subditorum correlata est obligatio parendi, secus inane foret imperium, ergo. *Imperans civilis habet jus ferendi leges civiles*, quia habet imperium, seu jus, actiones subditorum ad finem civitatis pro arbitrio determinandi, *Deinde* habet jus ad finem, leges autem continent media ad finem. Est vero duplex fons legum civilium, alter *essentia, et natura civitatis*, alter *circumstantiae civitatis*. Ille est omnibus civitatibus communis, quia civitates omnes eandem habent naturam, iste autem singularum civitatum proprius, quia circumstantiae non sunt in omni civitate eaedem, dependent enim a loco, a numero civium, ab amplitudine territorii etc. quae variant. *Hinc* 1-mo Leges, quae ex essentia, et natura civitatis deducuntur, sunt aeternae, necessariae, ubique eaedem, immutabiles, ut lex securitatem promovendi, quia etiam essentia civitatis est talis. Leges vero, quae ex circumstantiis deducuntur, sunt accidentales, contingentes, mutabiles, v. g. lex, quae prohibet frumenti evectionem, quia tales sunt etiam circumstantiae. 2-do Leges accidentales pro varietate circumstantiarum variare debent, quia mutata ratione sufficiente mutare oportet rationatum. 3-tio. Tunc erit perfecta civilis legislatio, quando leges accidentales cum essentialibus concordabunt, quia perfectio est concordia variorum in unum.

§ 29.

§ 29.

Necessariae sunt in civitate leges accidentales. Quia *imprimis* non sunt omnes tali ingenio praediti, ut, quae media variis occasionibus sint necessaria ad finem civitatis, possent antecedenter cognoscere, *Deinde* etiamsi illa omnes cognoscerent, non tamen omnes pari salutis publicae amore tenentur; *Postea* licet illa media et omnes cognoscerent, et aequali fervore ad finem civitatis contenderent, quia tamen saepe plura adsunt media aeque apta ad finem, unum debet voluntate imperantis determinari, manifestarique ad evitandam confusionem. *Denique* quia illi, quibus jurium majestaticorum exercitium committitur, homines sunt diversis affectibus obnoxii, qui amicum ab inimico sciunt distinguere, qui loco justitiae possent injustitiam facere; Leges autem surdae sunt, et inexorabiles, ita pauperem, sicut divitem obligantes.

Frustra autem murmuras: Per leges civiles restringi libertatem civium naturalem. Quia illa imminui debet, si reipublicae noceret, secus enim non posset finis civitatis obtineri; quid autem, et quando noceat civitati, illi tantum scire possunt, quibus omnes circumstantiae civitatis cognitae sunt, ideo Imperans subinde quaedam mala tolerare debet, si ex eorum prohibitione majora incommoda sequerentur, in conflictu enim minus malum comparative bonum est. *Sed nec ipse Imperans potest omnes civitatis circumstantias pervidere.* Ideo debet commune consilium instituere, in quo omnes, et singulae circumstantiae diligenter examinentur, quam habeant relationem sive inter se, si-

ve intuitu finis civitatis, nisi enim, qui uni aedificio dant operam, consilia inter se conferant, possunt quidem singulas partes bene componere, attamen totum imperfectum erit, ita etiam legislatio.

§ 30.

Requisita legum civilium sunt: I. Ut promulgentur, et quidem idiomate vulgari, quia lex non promulgata non obligat. II. Ut in unum et constantem codicem referantur, quia secus in oblivionem abibunt, posterorum certe oculos effugient. III. Ut sint breves, et plano stilo scriptae, quia breves facilius memoriae mandantur, et plano stilo scriptae facilius intelliguntur, non enim habent omnes subditi aeque tenacem memoriam, aut aeque facile judicium. IV. Ut sint concisae, seu determinatum quid praecipiant, aut prohibeant, quia secus per vagam interpretationem eludentur. V. Ut sint, *sed in sensu accomodo*, paucae, quia tales et citius menti, et effectui dantur, Atque, uti Plato, et Tacitus jam dudum observarunt, ubi multae leges, ibi multae lites, et mali mores. VI. Ut ad legis naturalis simplicitatem accedant, quia sic erit spes, ut quam diutissime durent.

§ 31.

Leges porro civiles privatae vel sunt *civiles in specie*, quae jura rerum, atque dominia, et de his disponendi modum definiunt, vel *criminales*, quae delictis poenas decernunt, vel etiam quasi

si delictis, seu actionibus dolo, vel culpa patratis. *Item* ratione legislationis vel sunt *mixtae*, quae quoad materiale naturales sunt, quoad formale autem positivae v. g. Non furtum facies, secus suspenderis, vel *mere positivae*, quae tam quoad materiale, quam formale ab arbitrio imperantis proveniunt, v. g. Ut in testamento debeant quinque testes adhiberi. *Omnes autem observari debent partim ob legem naturalem, partim ob commune pactum.* Ob legem naturalem propterea, quia illa pracipit civitatem, ergo imperium, quod sine obligatione parendi inane est; ob pactum unionis propterea, quia vi hujus cives se voluntati imperantis subjecerunt.

Neque verum est, pactum unionis primos tantum civitatis conditores, non etiam eorum posteros inivisse. Quia posteri tacite in illud consenserunt, qui enim in civitate nascitur, et educatur, fit ejus socius, et se subjicit, atque absurdum foret, velle commoda, sed incommoda subterfugere.

§ 32.

Vi potestatis legislatoriae imperans civilis quidem nullas positivas leges ferre potest, quae naturalibus adversarentur, quia naturales sunt immutabiles: habet tamen jus 1. eas declarandi, et illis casus obvenientes applicandi, immo novis praemiis et poenis muniendi, quia sic eas et ipse observat, et per alios observari facit. 2. habet jus juribus permissivis detrahendi, si id finis civitatis exigat, v.

 g.

g. contractibus, matrimoniis, testamentis certam normam statuendi, quia tunc adhibet media ad finem civitatis. 3. habet jus obligationibus naturaliter imperfectis jus cogendi civile adjiciendi, v. g. pauperibus gratis subveniendi, quia sic leges naturales novis poenis munit.

Hobbesius asserit omne honestum, aut inhonestum a lege civili dependere. Sed impia est ejus opinio, hac enim ratione leges naturales forent figmentum, et si blasphemiam imperans civilis praeciperet, esset honesta. *Sed legibus naturalibus aliquid detrahendo, vel addendo easdem mutat.* Nequaquam, non enim prohibet, quod praeceptum fuisset, neque praecipit, quod prohibitum erat. Et obligationes imperfectas vi imperii convertit in perfectas, quales jus cogendi admittunt.

§ 33.

Ad valorem legis civilis non requiritur consensus, et acceptatio subditorum, quia imperans habet jus actiones subditorum pro arbitrio determinandi; quia imperans potest subditorum consensum antevertere, illi enim dum civitatem ingressi sunt, naturalem suam libertatem communi subjecerunt imperio, et consequenter in nihil se consentire velle promiserunt, quod imperanti displiceret. *Hinc actus lege civili prohibitus est irritus, nullus.* Quia actus contra legem prohibentem positus sine jure ponitur, prohibitio enim adimit jus, id est facultatem moralem agendi, sed actus sine jure positus est nullus, repugnat enim, ut nullum jus producat aliquod jus, ergo.

At

At inquies. prohibere, et irritare sunt diversa. Ita in sensu grammatico, sed non juridice, quia quamprimum lex actum prohibet, illico adimit facultatem moralem eum ponendi, ergo irrirat, actus enim sine jure positus est irritus. *Sed actus prohibiti primo per sententiam judicis irritantur.* Nihil horum, sed judex declarat eos jam ab initio fuisse nullos; Quod enim ejus sententiae declaratoriae reserventur, ratio est, ne ullus sit in propria causa judex, et sic in civitate turbae evitentur.

§ 34.

Imperans civilis actiones subditorum *civiliter indifferentes*, seu tales quae cum fine civitatis nullum habent nexum, veluti cogitationes, nec praecipere, nec prohibere potest, quia jus ferendi leges accipit mensuram ex fine civitatis. *Hinc* in talibus cives habent *libertatem civilem*, seu possunt illas pro suo arbitrio determinare, quia foro civili non subjacent. *Si tamen dubitetur*, an legislator civilis de rebus a suo foro alienis aliquid statuerit, cives obedire tenentur, quia ob jus connatum bonae existimationis praesumi debet de imperante, illum hoc statuisse, ad quod jus habuit, praesertim cum illius sit singulares nosse circumstantias, bonumque civitatis optime perspicere. *Nisi gravia incommoda legem consequerentur*, tunc enim poterunt repraesentare, quia in actionibus civiliter indifferentibus habent libertatem civilem.

§ 35.

Praeterea vi potestatis legislatoriae imperans potest I. Leges accidentales abrogare, iis derogare,

et

et in illis ex justa causa dispensare: quia sunt ejus voluntas, quam imperans ex justa causa mutare potest. II. Imperans potest legem suam *authentice* interpretari, hoc est ita declarare, ut declaratio vim legis habeat, quia legem interpretando suam voluntatem declarat, ergo legem fert, leges autem ferre potest. III. Imperans civilis legibus mere civilibus non est subjectus, nisi ad dandum exemplum, quia nulla est obligatio, quae a solius obligati arbitrio pendet: At leges civiles naturales debet observare, quia hae omni civi a natura civitatis, et ipso Deo scriptae sunt. IV. Potest aliquando actiones legi naturali contrarias in foro externo impune tolerare, si nimirum eas puniendo majoribus incommodis civitatem subjiceret, quia illas propterea non approbat, sed intendit majus malum impedire. *Sic olim ultor sangvinis immunis fuit a poena civili. Numer.* 35.

Nec obloquaris, inutilem esse dispensationem, quod, si ratio legis duret, sit illicita, si autem ratio legis cesset, non sit amplius necessaria. Quia si ratio legis quoad omnes cessat ita, ut ex ejus custodia absurdum sequeretur, tunc quidem sola aequitas cives a lege eximit, sed si tantum quoad unum cesset, et solum negative, hoc est ita, ut nullum absurdum ex observantia legis oriatur, tunc iste ad dispensationem recurrere debet, nemo enim in propria causa judex, nemo se ipsum a lege eximere valet, atque sub tali praetextu leges eluderentur, finis civitatis non obtineretur.

§ 36.

§ 36.

Denique ad potestatem legislatoriam pertinet etiam privilegiorum concessio, quia *Privilegium* est lex privata in favorem vel odium alicujus speciale quid constituens. Privilegium vel est *favorabile*, quo libertas agendi augetur, vel odiosum, quo libertas agendi imminuitur. Favorabile vel est *gratuitum*, quod gratis, vel *onerosum*, quod non gratis conceditur. Item aliud est *in sensu lato* privilegium, quod certo rerum, aut personarum generi datur, v. g. agriculturae, feminis, vocaturque *beneficium legis*, *et jus singulare*; aliud in *sensu stricto*, quod uni tantum personae tribuitur, estque vel *reale*, si transeat ad heredes, vel *personale*, si cum persona extingvatur. Privilegium a dispensatione in eo differt, quod privilegium possit esse etiam odiosum, dispensatio autem semper favorem contineat, quia est exemptio a lege. At inter privilegium favorabile, et dispensationem hoc est discrimen, quod illud tribuat jus agendi, quod vi libertatis naturalis agere non potuissemus, v. g. ut aliquis typographus certum librum solus ausit imprimere; dispensatio autem tantum pristinam libertatem naturalem restituat, v. g. facultas diebus esurialibus carnes comedendi.

Scio a plerisque hanc assignari differentiam, quod privilegium ad plures, dispensatio autem ad unicum tantum actum pertineat. Verum hoc omnibus casibus applicari non potest, quia qui a lege jejunii dispensatus est, ejus dispensatio plures actus complectitur.

Ne-

Neque dicas omne privilegium esse vulnus aequalitatis civium, qui unitis viribus ad communem finem tendere obligantur, adeoque nunquam concedendum. Quia nonnunquam bonum publicum exigit, ut libertas unius augeatur, vel imminuatur per privilegia.

§ 37.

Ex natura privilegii fluit, I. Quod jus dandi privilegia competat soli imperanti, quia est jus majestaticum leges ferendi, privilegium enim est lex, jam autem jura majestatica soli imperanti civili competunt. II. Quod privilegium possit etiam extraneis concedi, quatenus vel ipsi, vel res eorum civitatem ingrediuntur, quia eatenus extranei fiunt subditi, subditis autem possunt leges ferri. III. Quod privilegia gratuita, si sapiant donationem stricte talem, non possint pro lubitu imperantis revocari, quia donationis non datur repetitio: At si induant naturam precarii, possunt pro lubitu revocari, quia ea est natura precarii. IV. Quod privilegia onerosa imperans non possit pro suo arbitrio revocare, quia a contractu oneroso non licet pro arbitrio unius contrahentis recedere. *Attamen* ob commune bonum omnia privilegia possunt revocari, quia sunt tantum leges accidentales, quales ob commune bonum abrogari possunt, *Deinde* in conflictu boni privati cum publico istud praeferendum est. Verum tunc privilegium onerosum habens debet indemnis servari, quia secus civitas locupletaretur cum damno alterius. V. Quod privilegiatus non debeat indemnis servari, si 1. conditio-

tionibus privilegii, non satisfaciat, quia tunc ipse et privilegio et indemninati renunciat, si 2. privilegio abutatur, quia tunc revocatio fit in poenam, non esset autem poena, si indemnis servaretur: si 3. privilegium plane in publicum detrimentum convertat, quia tunc privilegio quam maxime abutitur.

Sed cum privilegium sapiat naturam contractus bilateralis, tribuit jus irrevocabile. Omnino respectu privatorum, immo ipsius etiam imperantis, quamdiu revocationem non exigit finis civitatis. *Sed nec indemnem debet servare privilegiatum, revocando enim privilegium jure suo utitur.* Ast non uteretur jure denegando indemninatem, ad hanc enim obligatur, ergo etiam habet jus. *Non debetur indemnitas, quando revocatur privilegium gratuitum, ergo etiam.* Dispar ratio est, ob revocationem illius privilegiatus nullum sentit damnum, sentiret autem ob revocationam onerosi, nisi illud repararetur.

Caput V.

De suprema imperantis inspectione, et jure politiae.

§ 38.

Suprema imperantis inspectio, seu potestas inspectoria est jus examinandi, et cognoscendi omnes civitatis circumstantias, quae ad salutem publicam pertinent: *Hoc* jus competit imperanti civili, quia

si-

sine eo impossibile est convenientes circumstantiis leges ferre, et communem promovere felicitatem. *Vi potestatis inspectoriae* imperans potest inquirere in aetatem, numerum, pecunias, et vitae genus singulorum civium, atque cunctas minores societates, quia haec pertinent ad circumstantias civitatis, possunt obesse, vel prodesse fini civitatis: sic beneficio hujus inspectionis otiosi cives coguntur laborare, improbi emendantur, aut ne probos sive verbis, sive malo exemplo corrumpant, procul amandantur: item praecaventur conjugum dissidia, nimia parentum in liberos vel saevitia, vel indulgentia, crudelitas dominorum in famulos, aliaeque perniciosae consvetudines emendantur.

§ 39.

Vi potestatis inspectoriae habet imperans etiam jus inspiciendi in collegia in civitate existentia, quia sunt societates minores, quae et multum prodesse, sed et multum obesse saluti publicae possunt. Est autem *Collegium, vel Sodalitium*, societas aequalis ad artis alicujus sive liberalis, sive illiberalis, aut ad juris cujusdam communis exercitium inita; aliud est *publicum*, si in juribus majestaticis administrandis versetur, aliud *privatum*, quod se rebus singulorum gerendis occupat, talia Romae publica erant collegia Pontificum, Praetorum, privata vero fabrorum, pistorum. *Circa collegia imperans sequentia habet specialia jura:* I. Potest utilia erigere, huc pertinent pagi,

ur-

urbes, studiorum universitates, commerciorum sodalitia etc., quia conducunt fini civitatis. II. Potest eorum scopum, et regulas inspicere, quia possunt esse fini civitatis adversa, quod optime ex scopo, et regulis colligitur. III. Potest collegia, si cum fine civitatis consentiant, civiliter jüsta declarare, si vero dissentiant, pro injustis habere, quia justum in genere est, quod legi non repugnat, injustum autem, quod legi adversatur, ergo civiliter justum est, quod legi civili non repugnat, et civiliter injustum, quod legi civili adversatur, jam autem quid legi civili repugnet, vel non repugnet, potest imperans civilis declarare, lex enim civilis est voluntas imperantis. *Hinc* non omnis societas naturaliter licita, est etiam civiliter licita, v. g. matrimonium clandestinum, quia imperans civilis potest legibus naturalibus permissivis aliquid detrahere. IV. Potest statuta, id est pacta collegiorum confirmare, seu novas illis valoris rationes addere, quia nullum collegium in civitate vi propria valorem habet, nisi ab imperante pro justo declaretur, atqui hoc solus imperans potest. *Hinc* si alicujus collegii fiat confirmatio sub certis conditionibus, v. g. quomodo, et quot, cujusve aetatis socii possint recipi, et istae non observentur, collegium erit civiliter illicitum, quia legi civili repugnabit, Ideo autem collegiorum confirmatio est necessaria, quia multitudo hominum facilius potest nocere, quam singularis civis. V. Habet jus, si collegiorum negotia evadant reipublicae noxia, illa reprobandi, ipsa autem collegia vel

cor-

corrigendi, vel adjecto conventibus assessore coërcendi, vel si nulla foret spes emendationis, penitus dissolvendi, quia habet jus omnia noxia a civitate avertendi.

§ 40.

Jus politiae est jus determinandi media, quibus cives suum patrimonium tueri, illud augere, et commode vivere queant, quia politia in sensu stricto est, determinatio talium mediorum. *Hoc jus competit imperanti civili*, quia sine eo nascetur in civitate penuria rerum necessariarum, et securitas in periculum adducetur, sed imperanti competit jus ad omnia media, sine quibus securitas obtineri non potest. *Vi juris politiae imperans potest* I. suis subditis pro cujusque conditione de rebus necessariis prospicere, II. de rebus utilibus, III. de rebus jucundis. IV. de singulorum tranquillitate, quia hoc est objectum juris politiae, uti demonstrat ejus definitio.

§ 41.

Ex eo autem, quod imperans possit suis subjectis de rebus necessariis prospicere, habet jus annonae, et lignorum curam gerendi, vias a latronibus tutas reddendi, praescribendi leges, ut incendia praecaveantur, atque exorta promte extingvantur, contra ingruentes morbos constituendi collegia medicorum, et chyrurgorum, habendique medicamenta: *Item* statuendi rebus, et operis neces-

cessariis pretium, ne unquam cives ad labores idonei illis destituantur, fundandi vero pro laborare non valentibus loca, in quibus talibus necessaria suppeditentur, uti sunt: orphanotrophia, nosocomia etc. sed ab his arcendi validos mendicantes. *Praeterea* definiendi pondera, et mensuras, ne contrahentes se invicem defraudent, atque monetam suo nomine cudendi, vel si id aliis permittat, formam tamen et valorem ejusdem determinandi, ne ex re monetaria cives quidpiam detrimenti patiantur. Quia haec sunt civibus pro suo cujusque statu necessaria, his mediis possunt suum patrimonium tueri, quae determinandi imperans habet jus, habet enim jus politiae.

§ 42.

Inde vero, quod imperans possit suis subditis de rebus utilibus prospicere, habet jus agriculturam propositis praemiis, vel etiam poenis promovendi, opificia varii generis, et naturae territorii accomodata erigendi, commercia tam interna, quam externa instituendi, adjuvandique per *nundinas*, *emporia*, seu loca perpetuae mercium importationi, et exportationi destinata, et *montes pietatis*, uti sunt domus fiduciariae etc. Sed etiam perimendi artes vanas, nullumque patiendi vitae genus v. g. opificum, mercatorum, quod nimia multitudine laboret, nam juxta regulam politiae eo leviori pretio est merx, quo plures sunt vendentes, et pau-

cio-

ciores ementes. Quia his mediis cives possunt sibi res utiles comparare, et suum patrimonium augere, quae determinandi imperans habet jus, habet enim jus politiae.

§ 43.

Quod imperans possit civibus de rebus jucundis providere, sequitur eum habere jus informandi cives ad mores humanos, comes, civiles, festivosque, *item* imponendi, ut aedificia tam publica, quam privata non tantum solide, sed etiam decore extruantur, *praeterea* ut honestum quoddam ludorum, et gaudiorum genus pateat, ubi cives post labores in honesto otio vivere valeant. Quia his mediis consulitur civium jucunditati teste experientia, qualia determinandi imperans habet jus vi juris politiae.

§ 44.

Ex eo denique, quod imperans possit singulorum tranquilitati providere, habet jus artium liberalium, et illiberalium instituta erigendi, uti sunt: gymnasia, academiae, universitates, agriculturae, et opificiorum scholae, atque pro his viros probos, et doctos eligendi, qui cives in virtute, et scientiis omni studio instituant, speciatim vero pupillis de idoneo tutore prospiciendi, et supremam tutelarum inspectionem habendi. Quia nihil magis ad civium tranquillitatem conducit, quam scientiarum cultura, et virtus, ideo enim potissimum cives turbant securitatem, quia non habent excultum intellectum,

et

et voluntatem, jam autem imperans vi juris politiae habet jus determinandi omnia media, quibus cives commode, et in tranquillitate vivere possint.

§ 45.

Contraria autem ratione imperans habet jus omnia illa prohibendi, quae male agendi praebent occasionem, quia qui habet jus ad finem, habet etiam jus removendi impedimenta. Sic 1-mo potest prohibere levitatem paciscentium latis *Legibus formulariis*, quae praescribunt certas formulas, requisita, sine quibus contractus sunt nulli. 2-do luxum promulgatis *legibus sumtuariis*, quae luxui in nuptiis, funeribus; vestibus, cibisque potissimum peregrinis modum ponunt, quia his modis cives inutiliter suum patrimonium perdunt. 3-tio matrimonia inter consangvineos in quibusdam gradibus, ne sint illicium illiciti amoris. 4-to astrologiam judiciariam, quia nutrit superstitionem, 5-to. circulatorum imposturam, quia fraudes, et furta secumfert. 6-to licentiam bibendi, quia varia progignit scelera. 7-mo licentiam ludendi, quia familias spoliat. 8-vo denique potest rem librariam prudenti censura limitare, quia promiscue admissi libri rudium praesertim intellectum, et voluntatem pessimis imbuunt principiis.

§ 46.

Jure politiae continetur etiam cura *impopulationis*, seu procreatio, et educatio liberorum, quia

quia quo major est impopulatio, eo magis possunt cives et suum patrimonium tueri, et illud augere, *tueri* propterea, quia crescente numero civium etiam vires eorum crescere necesse est; *augere* propterea, quia crescente numero civium augentur eorum necessitates, auctis necessitatibus augetur industria, aucta autem industria augetur patrimonium, jam autem ad jus politiae pertinet determinare media, quibus cives suum patrimonium tueri, et augere possint. *Hinc* imperantis civilis est I. feminas quaestuarias expellere, quia tales dupli - ci ex capite obsunt impopulationi, primum, quia ipsae non concipiunt, dein, quia suis lenociniis abstrahunt alios a matrimonio. II. fidem conjugalem efficacibus poenis munire, quia ex hac unica sperare licet proficuam liberorum procreationem, et educationem. III. Morem castrandi abolere, quia adfert inhabilitatem promovendi impopulationem. IV. concedere praemia nuptiis, atque aliquam immunitatem plurium liberorum genitoribus, coelibes autem incastos a juribus civilibus excludere, quia sic plures ad ineunda matrimonia allicientur. V. Parare paedotrophia, seu loca idonea, in quibus innuptae puerperae, vel etiam pauperes matres sine famae jactura possint parere, quia hac ratione evitabitur majus malum, videlicet infanticidium, et non leviter subvenietur paucitati subditorum.

Neque dicas per talia loca invitari feminas ad flagitia. Quia ea intentione non eriguntur; contra haec

fla-

flagitia melius remedium est, si parentes, vel tutores ob negligentem educationem acerbe puniantur, et viri, causa plerumque impudicitiae praecipua, tantum cogantur solvere, quantum alendae matri, et proli educandae fuerit necessarium, est enim contra rationem minorem facere imputationem causae praecipuae, et majorem causae administrae, quae metu poenae facile in foetum innocentem saevire potest.

Caput VI.

De potestate imperantis exequente.

§ 47.

Potestas executoria est jus ea omnia in effectum deducendi, quae fini civitatis conducunt. Haec potestas competit imperanti, quia sine ea inanis est et potestas inspectoria, et legislatoria, nisi enim leges observentur, nullam habent utilitatem: Huc specialim pertinent. I. *Jus armorum*. II. *Jus territoriale*. III. *Potestas judiciaria*. IV. *Jus puniendi*. V. *Jus circa bona civitatis*. VI *Jus circa munera publica*. VII. *Jus foederum*. VIII. *Jus legatorum*. IX. *Jus belli, et pacis*. Quorum prima sex interna sunt, ultima vero tria externa.

§ 48.

Arma sunt omnes res aptae ad vim alteri vel inferendam, vel avertendam. *Jus autem armo-*

rum est jus arma in promtu habendi, iisque pro re nata utendi. Hoc jus competit imperanti, quia sine eo nec interna nec externa securitas potest obtineri. *Hinc specialia fluunt imperantis jura:* 1. potest bellum, et etiam modum, quo id geri debeat, determinare, quia in bello utitur armis ad vim vel inferendam, vel avertendam. 2. nominare *vigiles*, seu personas, quae pro securitate interna excubent, et *milites*, seu personas, quae securitatem externam tueantur, quia sine his non potest armis uti. 3. conscribere milites, immo et peregrinos conducere conventa formula, vulgo *capitulatione*, quia potest personas tam pro interna, quam pro externa securitate nominare. 4. constituere armamentaria publica, quia in illis arma in promtu habentur. 5 extruere munimenta, illisque praesidia imponere, quia sic sunt aptae res ad vim amoliendam. 6. praecipere subditis, ut apparatum militarem, et annonam procurent, quia sine his nec arma, nec milites habebit. 7. castra, et metationes ordinare, quia hoc pertinet ad modum quo bellum geri debet. 8. invalidos milites per pagos distribuere, ut simul rusticos militaribus instruant exercitiis, quia hac methodo habiliores erunt rustici ad militiam, ad quam illos conscribere potest. 9. condere leges militares, quia sine legibus miles foret indisciplinatus. 10. denique potest prohibere, ne cives se invicem laedant, v. g. *ne quis noctu sine lumine ambulet, ne rustici arma gestent, ne pharmacopolae promiscue vene-*

num

num vendant, *ne agyrtae medicinam praebeant*, quia jus habet non tantum externam, sed etiam internam securitatem promovendi.

§ 49.

Territorium est locus, in quo imperium civile exercetur, *Domicilium* est locus, in quo quis habitationem habet animo ibidem perpetuo manendi, *quasi domicilium* est locus, in quo quis habitationem quidem habet, sed tamen non perpetuo manendi. *Jus vero territoriale* est jus efficiendi, ne illi qui in civitatis territorio sive in perpetuum, sive ad tempus morantur, leges violent perfectas, seu securitatem turbent. Hoc jus competit imperanti, quia eidem competit jus securitatem manutenendi. *Hinc* consequitur I. Quod jus territoriale spectet tantum actiones negativas, v. g. ne quis territorium accedat, vel transeat, quia legibus perfectis satisfit actione negativa. II. Quod hoc jus possit etiam contra peregrinos exerceri, quia etiam hi obligantur non violare leges perfectas, seu neminem laedere. *Hi tamen* regulariter non possunt cogi ad actiones affirmativas, quia obligatio ad tales descendit ex pacto subjectionis, quod peregrini non fecerunt, *nisi* sub tali tantum conditione admitterentur, quia tunc intrando civitatem acceptant conditionem, et se tacite subjiciunt: Atque ista est ratio, *cur quilibet foro delicti subjiciatur*, hoc est ibi judicetur, et punia-

 tur,

tur, ubi deliquit, quia nemo aliter in territorium admittitur ob securitatem.

§ 50.

III. Quod jus territoriale competat etiam in imperantes extraneos, quia etiam hi obligantur neminem laedere, verum salva eorum aequalitate, quia non potest praesumi imperans velle admissum imperantem privare juribus majestaticis. IV. Quod, si jus quoddam in suo territorio una civitas alteri concedat, v. g. jus habendi praesidii, illud non sit jus territoriale, sed servitus gentium, quia illud non profluit ex imperio, sed ex simplici tantum pacto. V. Quod jus territoriale proprie non competat illi, qui non habet majestatem, licet fruatur juribus majestati analogis, quia jus territoriale est jus majestaticum, ex natura enim imperii intelligitur, ergo tantum majestati est proprium.

Nihil vero obstat illud vulgatum: extraneos territorium civitatis subeuntes subditos fieri temporarios. Quia concernit tantum tales, qui jam alibi subjecti fuerunt, siquidem per hoc nihil alienum ab eorum conditione praesumatur.

§ 51.

Potestas judiciaria est jus de subditorum litibus judicandi, easque decidendi. Hoc jus competit imperanti, quia illius est determinare bella, et modum ea gerendi, illius est non patiendi, ut cives se mutuo laedant, sed efficiendi, ut damnum datum reparetur, atque suum cuique tribuatur

jam

autem hoc fit per potestatem judiciariam. *Deinde,* si haec potestas non pertineret ad imperantem, tunc sub praetextu juris jus suum persequendi orirentur bella intestina, periret securitas. *Vi hujus potestatis imperans potest.* 1. causas subditorum controversas cognoscere, quia potest eas judicare, et decidere, quod sine praevia cognitione fieri nequit. 2. sententiam ferre, quia potest decidere, id est applicato facto ad jus ostendere ex cujus parte stet veritas, quod significat sententiam ferre, 3. exequi, quia secus sine effectu maneret sententia. 4. partem convictam, ni sponte solvat, adigendi, ut praestet id, ad quod fuit condemnata, quia secus frustraneum foret jus exequendi.

Inde vero haud conficitur, jura naturalia stricte alia jus suum persequendi in statu civitatis desiisse. Quia alius duntaxat ea exercendi modus est definitus ob securitatem, semper enim laeso patet aditus ad judicem, qui tamen non potest adhibere media duriora, quamdiu sufficiunt leniora.

§ 52.

Hinc autem liquet I. *Judicium* esse legitimam causae controversae disceptationem coram superiore, vel ex ejus jussu factam: *legitimam,* seu legibus conformem propterea, quia hae sine acceptatione personarum ostendunt ex cujus parte stet veritas, *a superiore* propterea, quia potestas judiciaria soli imperanti competit: et ut distingvatur a compromisso, ubi etiam causa disceptatur, verum arbiter non est superior. II. *Ordinem*

na-

naturalem judiciorum consistere in quatuor capitibus: 1. in petitione actoris, 2. in exceptione rei, quia in judicio est causae disceptatio, hoc est, unus aliquid affirmat, quod alter negat, qui affirmat, petit, et vocatur actor, qui vero negat, excipit, et dicitur reus, ergo. Et quidem reus vel excipit quoad *factum*, seu negat se factum comisisse, vel quoad *jus*, id est admittit factum, sed negat ex eo jus superesse. 3. in probationibus, earumque elisionibus, quia in judicio qui affirmat, probare debet, secus reus absolvetur, qui autem negat, debet probas elidere, secus condemnabitur, neutri enim ad simplicem sive affirmationem, sive negationem fides potest haberi, cum in jure non esse, et non apparere idem sit. 4. in sententia ferenda, quia ideo causa controversa ad judicium defertur, ut decidatur, seu sententia feratur. III. *Judicium tribus constare distinctis personis:* actore, qui imputat factum, reo, cui fit imputatio, et judice, qui imputat jus, quia judicium est causae controversae disceptatio a superiore, vel ex ejus jussu facta, jam autem actor, et reus disceptant, superior vero, vel qui ejus jussu decidit disceptationem, judex est. IV. Judicium aliud esse *civile*, dum actor suum persequitur, vel poenam sibi applicandam, v. g. mulctam pecuniariam, aliud *criminale*, dum actor agit ad poenam publicam reo infligendam, quia judicium debet esse legibus conforme, jam autem leges vel sunt civiles in specie, vel criminales.

II-

Illud te hic non confundat, quod subinde imputatio unica persona absolvatur. Quia judicium est imputatio externe declarata, qualis ab interna probe secernenda est.

§ 53.

Jus puniendi est jus a delinquentibus poenas sumendi. *Delictum* est actio libera legi civili poenali contraria, aliud est *publicum*, quod ipsam proxime afficit civitatem, aliud *privatum*, quo peculiares tantummodo cives laeduntur. *Oportet vero leges civiles esse poenales*, quia licet probi eas absque comminatione poenae observarent, sciunt enim legislatorem esse salutis publicae studiosum, atque per leges commune bonum promoveri, apud pravos tamen, quorum major est numerus, haec intrinseca legis virtus inefficax est, nam hi metu duntaxat poenae externae reguntur, idque tunc tantum, dum sciunt imperantem et posse, et velle a delinquentibus poenas desumere. *Jus puniendi competit imperanti*, quia per poenas delinquentibus inflictas conservatur tam publica, quam privata securitas, poenae enim eos, qui culpa deliquerunt, faciunt imposterum attentiores in muneris sui expletione, illis autem, qui dolum commiserunt, adimunt vel potentiam physicam, vel voluntatem delinquendi, sed etiam alii, qui talia exempla vident, vel audiunt, alieno periculo cautiores facti a malo abstinent.

§ 54.

Finis poenarum primarius est securitas civitatis, quia jus puniendi utpote majestaticum accipit mensuram ex fine civitatis. *Secundarii autem sunt tres*, emendatio delinquentis, satisfactio praestanda laeso, et exemplum pro aliis, ideo aliquando mortuorum cadavera suspenduntur, fugitivi in effigie puniuntur, et publica habentur patibula. Quia haec sunt media securitatem, adeoque primarium poenarum finem obtinendi, efficiunt enim, ut desit voluntas nocendi. *Hinc* imperans non potest punire. 1, simplicem ambitionem, avaritiam, hypocrisim, quia haec peccata sunt ad finem civitatis indifferentia, neque externis coactionibus utpote animi vitia emendari possunt. 2. non potest dictare solam poenam *infamiae*, quia non emendat delinquentem, sed potius ad delinquendum invitat, homines enim amisso honore ad quaelibet audenda proclives sunt. 3. non potest dictare solam poenam *mutilationis*, quia non est consentanea fini civitatis, onerat enim civitatem alendis hominibus otiosis. 4. Neque poenam *talionis*, ut idem quis malum patiatur, quod alteri intulit, v. g. ut oculis privetur, qui alteri oculos effodit, quia sapit vindictam, et saepe cum mutilatione connexa est, quae securitati potius obsunt. 5. Neque *exilium* regulariter, quia imminuit numerum civium, non emendat delinquentem, sed occasionem praebet in alieno territorio furto, et rapina vivendi ob lingvae ignorantiam, sed etiam adversa-

tur

tur officiis erga alias gentes, mittere illis homines pessimos.

Frustra pro talione citas Deuter. 19. *oculum pro oculo, dentem pro dente exiges.* Quia non in sensu litterali vindicta intelligenda venit, sed condigna poena, poterat enim teste Josepho Flavio redimi poena pecuniaria. *Deinde* Matth. 5. Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, et dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo.

§ 55.

Jus poenas executioni mandandi competit soli imperanti civili, quia est jus majestaticum, est enim exercitium juris puniendi. *Hinc* nemo potest in civitate hoc jus sine consensu imperantis exercere, sed nec permittendum, ut parentes in liberos, aut domini in servos severiores poenas decernant: quia praeter imperantem nemo habet jura majestatica. Et quidem imperans, dum punit delinquentes, merito *beneficus* vocatur, quia reliquis civibus praestat beneficium, nempe securitatem, *maleficus* autem est, si parcat delinquentibus, quia tunc aliis civibus maleficium facit, illos enim in pericula novarum laesionum conjicit.

Legimus apud Gallos, Germanos, Romanos datum fuisse maritis jus puniendi suas uxores. Verum hoc jus mariti non nomine proprio exercuere, sed nomine civitatis.

§ 56.

Imperans civilis habet jus exigente fine civitatis jam majores, jam minores poenas imponen-

di,

di, eas exasperandi, vel mitigandi, immo, si bonum publicum remissione poenae magis promoveatur, penitus remittendi, quod *jus aggratiandi* vocatur, quia jus puniendi mensuram accipit ex fine civitatis. *Hinc promanant regulae de proportione, ac aestimatione poenarum civilium.* I. Poenae consistunt vel in malis corporis, seu dolore, vel in malis fortunae, seu amissione bonorum, juriumque nostrorum, quia poena civilis est malum cum actione libera delinquentis ab imperante connexum, delinquens autem constat anima, corpore, et statu externo, ad quem bona et jura referuntur, jam vero imperans nonnisi vel corpori, vel statui externo potest malum imponere, in animam enim non cadit coactio physica, ergo. II. Poenae debent variari pro statu personae, sexu, patrimonio, loco, tempore, et modo patrati delicti: quia ideo statuitur poena, ut sit sufficiens motivum a delictis abstinendi, jam autem aequalis poena non est semper, et pro omnibus sive personis, sive delictis sufficiens motivum, quod enim uni malum majus est, id alteri minus, vel nullum est, sic rustico nulla poena est aula regia interdici, vel diviti aliquot florenos solvere. III. In multitudine delinquentium tantum maxime rei debent puniri, et minus reis venia dari, quia si omnes punirentur, vel numerus civium, vel laboratorum imminueretur, quorum utrumque nocivum est reipublicae. IV. Qui non delinquerunt, non possunt puniri, quia jus puniendi est jus a delinquentibus poenas sumendi.

V.

V. Imperans Christianus potest gratiam dare in illis etiam delictis, quibus in veteri testamento certae poenae erant statutae, quia leges veteris testamenti positivae non sunt universales.

Dicet aliquis: jus aggratiandi esse figmentum, si enim finis civitatis non exigit, ut delinquens puniatur, est inutile, si vero exigat finis delinquentem puniri; illicitum est. Verum utrumque solus imperans potest decidere. *Deinde, interdum delinquentium liberi, consangvinei bonis, aut privilegiis mulctantur.* Hoc proprie non est poena, sed infortunium, quemadmodum tunc, dum liberi a parentibus nullam acquirunt hereditatem, quod vel nullum habuerint patrimonium, vel illud dilapidaverint: Quod tamen hoc aliquando civitas faciat; utitur jure securitatis, ne tales parentum poenam possint ulcisci.

§ 57.

Qui delictum comittit privatum, obligatur ad duplicem satisfactionem, ad *privatam*, seu damni reparationem, et ad *publicam*, seu poenae praestationem, quia et civem laedit, et legem poenalem transgreditur. *Hinc* si remittatur satisfactio publica, eo ipso non est remissa privata, et vicissim, quia hae duae satisfactiones sunt diversae, jam autem positio uno ex duobus diversis, non ponitur etiam aliud. *Omnis autem* delinquens obligatur poenam sibi dictatam subire, quia secus jus puniendi esset frustraneum.

Sed nemo tenetur se ipsum punire, neque malum appetere, ergo nec poenam subire. Primum ea de

cau-

causa verum est, quia nemo habet jus puniendi praeter imperantem, et nemo tenetur se imperfectiorem reddere. Secundum autem intelligendum est cum exceptione, nisi majus malum immineat; jam vero poenae resistere majus est malum, quia novum delictum, et malum morale, est enim inobedientia. Denique poenam subire est bonum morale, quia qui peccando nocuit, prodest reipublicae bono exemplo.

§ 58.

Imperanti civili competit etiam *jus gladii, jus vitae, et necis*, seu jus morte puniendi delinquentes, quia subinde tam grande est delictum, ut sive ob atrocitatem facti, sive ob pessimum exemplum grave immineat civitati periculum, neque possit aliter, quam morte delinquentis averti, ergo tunc mors delinquentis evadit medium necessarium ad finem civitatis, sed imperanti competit jus ad omnia media necessaria. Consentiunt in hoc etiam sacrae litterae III. Reg. 20.

Objicitur 1. *jus vitae, et necis natura non tribuit, jura enim omnium sunt aequalia.* Ita natura absolute considerata, in qua nulla laesio intelligitur, at tribuit natura hypothetice considerata, haec enim dum jubet finem, dat etiam jus ad media necessaria. 2. *Id pacto in superiorem transferri non potuit, nemo enim erat vitae suae dominus.* Quilibet tamen in statu naturali habuit jus defensionis, violentiae, belli, jus occidendi injustum aggressorem, et hoc in imperantem translatum est, dum ei data est potestas executoria. 3. *Sed singuli homines non habuerunt jus occi-*

den-

dendi inermem, aut catenis vinctum. Verum est, sed jura societatis non ex jure singulorum, sed ex fine cognoscuntur, sic licet singuli sibi ipsis legem dicere nequeant, potest tamen societas. 4. *Hoc jus ex voluntate Dei derivari non potest, fuit enim tantum populo judaico concessum propterea, quod is durissimis in Aegypto laboribus assvefactus nonnisi poena mortis coërceri potuerit.* Neque nos illud ex voluntate Dei expressa deducimus, sed tantum ex tacita, seu, quod idem est ex lege naturali hypothetica, quae dum jus dat ad finem, debet etiam jus dare ad media necessaria; falsum autem est ideo apud judaeos viguisse poenam mortis, quia in Aegypto illis gravissimi labores subeundi erant, nam isti ferme omnes prius in deserto mortui sunt, quam ad terram promissionis devenvissent, in qua tamen semper poena mortis locum habuit. 5. *Per crimen blasphemiae, et sodomiae respublica non laeditur, morte tamen puniuntur, ergo non ex ratione, sed tandem ex revelatione explicari debet.* Immo per haec crimina respublica multifariam laeditur, ejus enim vinculum religione, et civium propagatione continetur. 6. *Imperans nulli delinquenti potest vitam reddere, ergo nec adimere.* Retorqueo argumentum: injusto vitae aggessori vitam reddere non possumus, possumus tamen adimere. 7. *Securitati civitatis satis consulitur, si delinquens ad perpetuos carceres condemnetur.* Non semper, potest enim habere complices, qui eum cum majori perturbatione securitatis conentur liberare, *Dein* efficacius exemplum dat mors, quam carcer, vita enim est omnium bonorum temporalium fundamentum; *Denique* malefica esset clementia ideo vitam parcere improbis, quod hi eandem non pepercerint probis.

§ 59.

§ 59.

Interim non pro quolibet delicto, poena mortis dictari potest, sed tunc tantum, quando alia remedia saluti civitatis haud satis consulerent, quia jus vitae, et necis competit duntaxat ex remedii necessitate ad finem, quia quamdiu sufficunt media leniora, non licet adhibere duriora, quia frequens ultimorum suppliciorum aspectus, eorundem horrorem imminuit, quia denique numerum civium enervat. *Sed etiam* nemo inauditus, aut indefensus condemnari debet, sed cuilibet reo permittendum, ut, quaecunque idonea scit ad elidendas delicti probationes, adducere queat, quia ob jus connatum bonae existimationis quilibet praesumitur non deliquisse. atque antequam reus audiatur, seque defendat, dici non potest delictum esse sufficienter probatum, prius enim non scitur, an non valeat probationes elidere, jam autem, qui non deliquit, non potest puniri.

§ 60.

Tortura est actus, quo homo de crimine graviore valde suspectus ad confessionem facti adigitur, alia est *corporalis*, dum hominis de crimine suspecti corpus malis physicis afficitur, ut factum fateatur, alia *spiritualis*, seu juramentum purgatorium, quod homini de crimine suspecto per judicem defertur, ut suam innocentiam probet. *Tortura corporalis in regula est illicita*, quia est ineptum medium resciendi veritatem, homo enim de-

debilioris complexionis potius fatetur delictum, quod nunquam comisit, quam ut tormenta patiatur, fortioris autem complexionis suffert potius omnia tormenta, quam ut fateatur delictum, quod reipsa patravit, ergo sive quis sub tortura fateatur delictum, sive neget, manet dubium, an illud comiserit, vel non, quod perbene sentiunt illi, qui peracta tortura requirunt confessionis confirmationem: *Deinde* per torturam punitur innocens, malis enim physicis afficitur, antequam constet, utrum deliquerit, jam autem nec media inepta adhibere, nec innocentem punire licet.

§ 61.

In exceptione tamen licita est, id est si 1. aliqua malitia rei jam nota sit, 2. alterius sceleris ab eodem patrati quam maxima probabilitas, 3. idque scire intersit reipublicae, v. g. si reus nolit complices nominare, vel rem, quam fatetur ablatam, detegere, quia in tali conflictu saluti privatae praeferenda est publica. *Verum* torquendus debet esse sano, et robusto corpore, ne forte sub tormentis moriendo inutilem faciat totam inquisitionem: Atque tortura in talibus tribunalibus instituatur, ubi virorum jurisprudentia probe subactorum copia praesto sit, quia tales ad omnia requisita attendent, et singula ex communi statu reipublicae ponderabunt. *Etiam tortura spiritualis est illicita*, ubi vel poena mortis, vel corporis afflictiva, vel infamia dictanda venit, quia harum poe-

poenarum tantus est horror, ut, qui delinquerunt, facilius pejerent, quam delictum fateantur, non licet autem occasionem dare pejerationi.

Et si autem torquendus absolute innocens esse possit in eo, de quo torquetur. Hoc tamen tantum infortunii loco habendum foret, sicut, si quis ex testimonio falsorum testium puniretur, civitas enim saluti privatae publicam praeferre potest.

§ 62.

Vi juris puniendi habet imperans etiam jus in delicta *inquirendi*, quia secus multa delicta manerent impunita. *Sed potest etiam inquisitionem abolere*, quia habet jus aggratiandi, aggratiat autem, dum inquisitionem abolet, nam tunc poenam in delicto dubio remittit. Denique habet jus *asyla* concedendi, hoc est loca, unde rei abduci non possunt, donec eorum reatus, vel innocentia appareat, quia asyla continent temporariam quandam abolitionem inquisitionis, ad quam imperans jus habet. *Hinc* jus asyla concedendi, vel abrogandi soli imperanti civili competit, quia est jus majestaticum, est enim species aggratiationis, et pars juris vitae, et necis.

Si dicas asyla esse juris divini, quod ea Deus in veteri testamento constituerit. Scito fuisse refugii loca constituta a Deo qua imperante civili, respublica enim Hebraeorum Theocratica fuit, verum illis cessantibus etiam leges cessarunt. *Si vero ex eo urgeas asyla esse juris ecclesiastici, quod extractio delinquentis ex loco sacro repugnet reverentiae eidem debitae, quam curare*

ad ecclesiasticos spectat. Bene animadvertito: actum ad justitiae executionem necessarium non posse repugnare reverentiae loco sacro debitae, secus Deus *Exodi* 21. non constituisset homicidas ab altari abripiendos; *Deinde,* mihi videtur magis repugnare reverentiae templorum ex illis facere speluncam latronum, quam inde latrones extrahere. *Sed varii Romani Pontifices varias de asylis tulerunt leges.* Ita, verum illae ex receptione tantum obligant.

§ 63.

Si integri pagi, vel collegia, vel urbes delinquant, etiam puniri debent, quia multum interest reipublicae, ut delicta non maneant impunita, verum non omnes, sed tantum auctores praecipui puniendi sunt, quia in multitudine delinquentium iis danda est venia, qui minus rei sunt. Exigente tamen fine civitatis potest tota societas privilegiis exui, vel penitus dissolvi: quia fini civitatis salus privatorum etiam innocentium cedere debet: At *decimatio militaris,* ut v. g. decimus, vel vigesimus quisque morte, aut poena corporis afflictiva plectatur, aliave similis poena aleatoria adhiberi non potest, quia fieri posset, ut innocentes, vel minus rei cum maxime reis aequaliter puniantur, quod injustum est.

Caput VII.

De jure circa bona, et munera civitatis.

§ 64.

Bona civitatis sunt omnes res in territorio civitatis existentes, quia *bona* dicuntur, quaecunque sunt in dominio alicujus: Et quidem alia sunt *publica,* quae ad universos pertinent, alia *privata,* quorum proprietas penes singulos est. Publica vel sunt *publica in specie;* quorum usus ad singulos spectat, uti sunt fluvii, pontes, viae publicae; vel sunt *publica in genere* seu patrimonium civitatis, vulgo bona cameralia, et bona coronae, quorum et proprietas; et usus universis competit, v. g. publicae aedes, fundi, lacus: Atque haec vel sunt *bona fisci,* quae conservandae vitae, et dignitati imperantis inserviunt, vocanturque *domania,* si in praediis, seu bonis immobilibus consistant; vel *bona aerarii,* quae pro defensione reipublicae sunt destinata. Privata vero bona vel sunt *singulorum,* vel *minorum societatum,* vel *ipsius imperantis,* quae nimirum non jure imperii tenet. Omnia tamen bona in territorio civitatis existentia sunt eminenter imperantis, qui ideo etiam *dominus territorii* appellatur, quia omnia ab initio erant universorum, qui ea vel modo originario, vel derivativo acquisiverunt, universi autem

tem in imperantem transtulerunt, nam jus in bona civitatis sub potestate executoria continetur.

§ 65.

Jura imperantis civilis circa bona publica sunt sequentia: I. jus ex iisdem sumtus necessarios colligendi, quia tenetur templa, aliaque extruere aedificia, miseris opem ferre, publicos alere doctores, promtum tenere militem, quod sine sumtibus fieri nequit, ad sumtus autem requiruntur bona. II. Jus de iis disponendi, sed ad obtinendum finem civitatis, et inde pendentem civium felicitatem, quia eorum dominium populus in imperantem transtulit, sed jura majestatica mensuram accipiunt ex fine civitatis. III. Jus bonis civitatis *jacentibus* utendi, et fruendi, quia bona jacentia sunt, quae a singulis occupata non sunt, populus tamen occupando territorium jus praecipuum habet ea occupandi, potest enim extraneos a suo territorio arcere, talia, sunt: *montes, sylvae, loca subterranea, fluvii, viae publicae*, ergo sunt bona publica ad dominium imperantis translata, atqui dominus rebus suis uti, et frui potest. Hinc deducuntur imperantis *jura regalia*: jus venationis, piscationis, aucupii, jus silvarum, jus montanisticum, jus minerale, jus postarum, quia haec jura exercendo utitur, et fruitur bonis jacentibus civitatis. Haec tamen jura in bonis privatorum exercere nequit illis invitis, quia laedere non licet. IV. Jus boni fisci in suam propriam utilitatem, at bona

aerarii tantum ad commune bonum convertendi, quia illa pro ejus privato commodo, haec autem pro publico concessa sunt.

§ 66.

Circa bona vero privatorum haec sunt imperantis jura *generatim:* Si bona publica sumptibus civitatis sufficiant, privati non possunt stringi, ut partem suorum bonorum suppeditent, quia jus disponendi de bonis civitatis accipit mensuram ex fine civitatis, quia quilibet socius in societate privato suo commodo studere potest, quia cives ob securitatem etiam suorum bonorum civitatem ingressi sunt. *Sed si bona publica ad scopum civilem haud sufficiant, tunc quisque pro modo facultatum suarum ad onera publica concurrere debet.* Quia jus disponendi de bonis civitatis accipit mensuram ex fine civitatis; quia potest quidem quilibet socius privato suo commodo studere, ita tamen, ut commodum privatum publico postponi debeat: quia hoc singuli universis ab initio civitatis polliciti sunt, promiserunt enim se velle unitis viribus ad obtinendum finem societatis tendere.

§ 67.

In hoc tamen jure exercendo imperans cavere debet, ne 1. plus exigat, quam erogare debeat, quia secus majores essent praestationes, quam poscat finis civitatis. 2. ut cessante necessitate civitatis cesset exigere, quia cessante ratione sufficiente ces-

sa-

sare debet rationatum. 3. ut, qui plus possident, plus conferant, quibus autem res angusta est, minus; quia objectum praestationis sunt bona, non vero persona, ut persona. *Deinde* praestatio fit titulo securitatis rerum, jam autem plus de publica securitate participat, qui majores habet facultates. 4. ut rebus ad vitam necessariis, veluti pani, carni, lignis, quam minima onera imponantur, contra iis, quae soli commoditati, et voluptati inserviunt, qualia sunt: sacharum, fabae turcicae, etc., majora, quia sic, qui multa possident, plus, et qui pauca possident, minus conferent, rebus enim jucundis nonnisi ditiores utuntur. 5. ut praescindendo a privilegio, nulla sodalitiorum bona ab his oneribus sint immunia, quia ex natura civitatis omnes socii unitis viribus debent ad finem tendere, quia illis imperans non minus, quam reliquis civibus securitatem impertitur.

§ 68.

Speciatim vero triplex est jus imperantis in bona civium privata: I. *Jus in partem consectariorum*, quod triplici ratione exercetur, per *vectigalia*, *tributa*, *et accisam*. Est autem *vectigal* praestatio, quam privatus pro usu rei publicae pendit, habetque varias species, vel enim pro usu viae, vel pontis, vel fluminis, vel pro facultate in foro publico vendendi solvitur, et quidem si a persona pedite desumatur, dicitur *pedagium*, si pro equis, curribus, *portorium*. *Tri-*

bu-

butum est praestatio, quam privatus ideo solvit, quia rebus suis immobilibus secure uti, et frui potest; *Accisa* denique, seu tributum consumtionis est praestatio, quam privatus ideo facit, quia rebus mobilibus secure uti, et frui, emere, vendere potest. *Hinc male docuit Hobbesius* jus vectigalium, et tributorum esse jus dominii, quia vi hujus juris imperans non habet jus in substantiam rerum, neque in omnia consectaria, quod ad dominium requiritur, sed habet jus tantum in partem consectariorum, secus enim nemo res suas duceret per vias, fluviosque publicos, nemo commercium exerceret, et sic jaceret agricultura, periret industria, et demum ipsa civitas dissolveretur. *At potest imperans ex parte maris, quod territorium alluit, vectigal petere*, quia privatus re sua utens simul utitur bono publico, nemo autem rei suae usum alteri gratis dare tenetur, praesertim cum civitas varios sumtus ad construendos ibi portus, ad ignes nocturnos alendos, ad securitatem navigantibus praestandam faciat.

Non dicas: mare non esse in bonis civitatis. Hoc enim de toto mari, sed non de ejus parte verum est, pars enim potest a gente occupari.

§ 69.

II. *Jus eminens in ipsam rerum substantiam, et personas subditorum*, si id finis civitatis exigat, quia tunc confligit salus publica cum privata, quo in conflictu publica privatae saluti prae-

praeferenda est. Hoc jus vocatur *eminens*, vel *supereminens*, quia super jura, et dominia privatorum omnia eminet, seque extendit. Et quidem in specie *dominium eminens* dicitur, si circa res versetur, et *potestas eminens*, si in personas exerceatur, quia in personas non cadit dominium, sed tantum in res. Hinc vi *dominii eminentis* potest imperans occupare fundum privati, ut in eo castra, vel munimenta ponantur, auferre naves ad transportandos milites, granaria privatorum aperire etc. Vi autem *potestatis eminentis* mittere obsides etiam invitos, cogere ad militiam, vulneratos in praelio deserere etc, qui salus civitatis suprema lex est. *Interim hoc jus suos habet limites:* 1. non potest exerceri, nisi in statu civitatis extraordinario, *hoc est*, in casu necessitatis, aut magnae utilitatis reipublicae, quia tunc tantum confligit salus publica cum privata. 2. cessante necessitate iis debet indemnitas praestari, qui prae aliis onerati fuere, quia secus ad onera publica omnes aequaliter non concurrerent.

Frustra objicis: ad damnum alicui privato ab hostibus illatum resarciendum non obligari reliquos cives concurrere, ergo etiam. Disparitas est, nam illud est damnum casuale, non enim poterat praevideri, vel saltem praecaveri, casus autem nocet domino; istud autem onus est ex proposito impositum ad praevisum sed praecavendum majus malum. *Sic etiam frustra objicis: jus eminens non posse dici dominium, secus enim una eademque res esset in dominio duorum.* Quia privatus rei suae habet dominium perpetuum, nam in

ea-

casu etiam, quo ei substantia aufertur, indemnis servari debet, imperans autem habet tantum momentaneum dominium.

§ 70.

III. *Jus supremae inspectionis in bona privatorum*, seu jus in bona privata inquirendi, et si quid noxium reipublicae circa eorum administrationem deprehenderetur, salutaribus legibus emendandi, Hoc jus competit imperanti, quia eidem competit jus supremae inspectionis in omnes circumstantias civitatis, ad quas bona etiam privatorum pertinent. *Vi hujus inspectionis* potest leges ferre contra malum foenebre, seu usurarios, contra aleatores, contra prodigos, quia potest determinare media, quibus cives suum patrimonium possint tueri. *Item* contra eos, qui in certa collegia, v. g. ecclesiastica sua bona alienant, quia tunc rerum sistitur commercium, artificia, et opificia languent, quod nocivum est reipublicae. *Praeterea* contra eos, qui nimia legata, et fideicomissa faciunt, quia sic posset quis formidabiles civitati opes acquirere. *Denique* potest ferre leges in praescriptionibus, successionibus, et contractibus observandas, quia multum interest reipublicae, ne quis re sua male utatur.

§ 71.

Munus est status, in quo quis certa negotia obire perfecte obligatur, dicitur aliter *officium*, quia in omni munere adest obligatio, ergo jus, er-

go

go etiam usus juris, ergo officium. Aliud est *publicum*, quod in negotiis publicis versatur, aliud *privatum*, quod pro objecto habet privatorum negotia. In munere publico constitutorum nomina sunt: *Minister*, *Magistratus*, *Potestas minor*, *Consiliarius*, *Officialis publicus*. Munera autem publica vel sunt *externa*, quae vi imperii cum exteris tractanda negotia concernunt, uti sunt negotia belli, pacis, foederum: vel *interna*, quae se cum publicis ipsorummet civium negotiis occupant, talia sunt ecclesiastica, politica, judicialia, fisci, et aerarii, commercialia. Qui negotia externa administrant, si resideant penes proprium imperantem, vocantur *Ministri status*, si vero in aulis peregrinis, *Legati*. Internis vero ecclesiasticis praesunt *religionis Antistites*, politicis *generalis politiae director*, judicialibus *summus judiciorum praeses*, negotiis fisci, et aerarii *primus rationarius, et fisci procurator*, commercialibus, *supremus commerciorum inspector*. Dantur quoque officiales publici, qui tam interna, quam externa negotia procurant, velut *supremus rei bellicae praefectus*, item *summus rei navalis Dux*, cum admiralitatis collegio, hi enim et de apparatu bellico, de stipendiis, et disciplina militari solliciti sunt, et bello contra hostes praesunt: Atque singulis horum rursus aliae personae, immo integra tam superiora, quam inferiora collegia subsunt.

§ 72

§ 72.

Circa munera publica haec sunt imperantis jura: I. Jus munera publica conferendi, quia tot, tamque diversa sunt civitatis negotia, ut ea singula imperans expedire nequeat, hoc enim in monarchia unius vires excedit, in aristrocratia autem, et democratia perpetuo in conventu manere collectos, qui gubernant civitatem, repugnat. *Sed munera publica nonnisi habilibus possunt conferri*, quia secus respublica male administraretur. II. Jus spem dandi ad certum quoddam munus, quia tali spe animantur cives, ut se ad munera publica, quam aptissimos reddant; Haec vero spes dupliciter fit, vel *nuda pollicitatione*, unde candidatus habet tantum expectativam, et jus imperfectum, quia pollicitatio tantum jus imperfectum tribuit; vel *pacto*, et tunc canditatus acquirit jus perfectum succedendi in certo officio, quia ex pacto nascitur jus perfectum.

Propterea ergo, quod imperans perfecte obligetur nonnisi habilibus civibus munera publica conferre, non sequitur omnem habilem civem habere jus perfectum ad munera publica, quod obligationi perfectae correlatum sit jus perfectum. Quia obligationi imperantis non est correlatum jus civium, sed jus imperii, non enim ideo obligatur munera publica conferre, quia dantur habiles cives, sed quia habet jus gubernandi civitatem, ideo tantum habilibus tenetur munera publica conferre: *Deinde* jus perfectum est, quod in τω nostro habet rationem sufficientem, atqui munus ante collationem ad τω nostrum non pertinet: Itaque habi-

bi-

bilis civis habet tantum jus imperfectum, quia habet aptitudinem, et meritum, quod est fundamentum juris imperfecti.

§ 73.

III. Jus ei, qui munus publicum gerit, alium *substituendi*, vel alium *adjungendi* officialem, qui idem officium gerenti adjutorio sit, quia tunc munus publicum confert. *Hinc* qui propria auctoritate munus publicum sibi arrogat, laedit imperantem, quia ejus jus munera conferendi violat, sic etiam laedit imperantem, qui in munere collato majorem exercet potestatem, quam ei fuerit data, quia talis propria auctoritate sibi jus arrogat. IV. Jus praescribendi suis ministris agendi normam, quia habet jus leges ferendi, *Hinc* potest investigare, an suo quisque munere rite fungatur, quia secus inutiliter praescripsisset agendi normam. *Deinde* potest probos confirmare, quia tunc confert noviter munus. *Praeterea* improbos, aut desides corrigere, vel dimittere, quia habet jus delinquentes puniendi. *Denique* potest etiam invitos cogere ad suscipienda publica munia, quia secus inane esset jus imperantis actiones subditorum ad finem civitatis dirigendi, et munera publica conferendi; Atque ideo potest petitam ab officio dimissionem denegare, quia sic invitos cogit munera obire. *Ex his autem manifestum est:* officiales *respectu officii* esse publicas personas, quia habent publica jura, nomine enim imperantis jura majestatica exercent, jam autem persona publica est homo cum

ju-

juribus publicis consideratus: At *respectu imperantis* manere personas privatas subjectas; quia omnem, quam habent potestatem, ab imperante acceperunt, cujus voluntati morem gerere obligantur.

§ 74.

V. Jus uni personae plura negotia, vel unum pluribus committendi, quia non repugnat, ut una persona plura negotia recte expediat, sed fieri potest, ut unum aliquod negotium ita vastum sit, ut ab uno, perfici nequeat, jam autem imperans in collatione officiorum id debet intendere, ut negotia civitatis rite obeantur, jus enim munera publica conferendi utpote majestaticum mensuram accipit ex fine civitatis. VI. Jus formandi *supremum status consilium*, seu constituendi collegium ex praesidibus, vel aliis consiliariis, vel ex ambobus simul, qui omnia civitatis negotia collatis inter se consiliis determinent, dirigantque, quia secus tot, tamque diversorum collegiorum operationes discordabunt cum manifesto reipublicae detrimento.

§ 75.

Juris munera publica conferendi consectarium est jus dignitates civiles tribuendi, sed prius videndum, unde nascatur dignitas: *Valor, et existimatio* hominum provenit a majore, vel minore perfectionum gradu, quia in genere valor rerum ex quantitate utilitatis, et perfectionis desumitur: Est autem existimatio hominum alia *naturalis*, quae a perfectionibus naturalibus, alia *hypothetica*,

quae

quae a perfectionibus pendet facto acquisitis. Illa apud omnes homines aequalis est, quia natura humana, ex qua intelligitur, in omnibus eadem est, ea tamen simplex tantum est, quia ei satisfit sola abstinentia a malo: At existimatio hypothetica varia est, quia variis factis comparatur. Hinc *dignitas* est praecellentia unius hominis prae altero ex perfectionibus aestimata, quia is, cui major valor, et existimatio tribuitur, praecellit; Dignitas civilis est praecellentia unius civis prae altero ex perfectionibus civilibus, id est juribus, et muneribus publicis profluens. Ideo in civitate summam dignitatem habet *imperans*, quia maximis gaudet juribus civilibus, videlicet imperio. Deinde *officiales publici*, quia exercent jura majestatica, et quidem eo major est eorum dignitas, quo plura, vel graviora obeunt officia, quia eo majora habent jura civilia.

§ 76.

Imperans civilis habet jus dignitates civiles conferendi, quia dignitates civiles profluunt ex muneribus publicis, sed haec habet jus conferendi, *Hinc* potest 1. signa externa dignitatum determinare, uti sunt tituli, praecedentia, insignia sive gentilitia, sive mere personalia, quia per haec dignitatem alicui collatam confirmat. 2. Lites de praecedentia decidere, quia tunc suum cuique assignat dignitatis gradum. 3. Instituere ordines equestres pro statu militari, et togatos pro statu politico, quia

sunt

sunt signa externa dignitatum, et animant cives ad bene merendum de civitate. 4. Potest justa ex causa indignos civili dignitate, et nobilitate spoliare, quia habet jus puniendi delinquentes. *Ex hoc patet* imperantem esse fontem omnium civilium dignitatum, quia ille solus potest dignitates conferre, hoc enim est jus majestaticum, quod tantum imperanti competit.

Caput VIII.

De jure imperantis circa Religionis negotia.

§. 77.

Imperans civilis habet jus in civitate pietatem erga Deum promovendi, quia habet jus cives in virtute informandi, est enim medium ad securitatem, jam autem nulla virtus est perfecta, nisi procedat ex pietate erga Deum, perfectio enim est concordia variorum in unum finem, sed finis ultimus rerum omnium, adeoque etiam virtutis est manifestatio perfectionum divinarum, in qua pietas erga Deum consistit, ergo. *Deinde* non licet de patribusfamilias ita judicare, quasi, postquam civitatem ingressi sunt, minus voluerint, vel potuerint obligari ad colendum Deum, obligatio enim Deum colendi est omnium maxima, a qua se nemo unquam eximere potest. *Vi hujus juris* potest imperans 1. praecavere, ne pietatis erercitia turben-

beutur, neve cives actiones suas a jure naturae detorqueant, quia haec pietati adversantur. 2. Doctores aptos, probosque denominare, qui cives verbo, et exemplo ad pietatem alliciant, quia sic pietas promovetur, verum talibus viris debet et de dignitate, et de honesta sustentatione providere, quia sine his officio suo, uti oporteret, non poterunt satisfacere. 3. Aedificare templa, instituere dies festos, ceremonias, et congregationes piorum publicas, quia haec sunt media pietatem instillandi, et conservandi. 4. Nunquam admittere, ut cives Dei cultum proterant, aut atheismum, idololatriam, aliasque bonis moribus perniciosas opiniones disseminent, quia ista pietatem evertunt, jam autem qui habet jus pietatem promovendi, habet etiam jus media adhibendi, et impedimenta tollendi.

Non objicias subditos ad nullas tales actiones, quas suae religioni adversas putant, ab imperante cogi posse, quod neminem liceat ad malum cogere. Quia hoc verum est de actionibus internis, non autem externis, quas poni exigit bonum publicum, secus neque ad patriae defensionem suscipiendam compelli poset, qui eam sibi ut malam repraesentat.

§ 78.

Ecclesia est societas ad Deum eodem modo colendum inita, et quidem *universalis*, quae per mundum universum dispersa est, *particularis* autem, quae in certis quibusdam locis, v. g. provin-

cia,

cia, vel pago existit *Religio* est determinatus modus Deum colendi: ejusque actus vel interni, vel externi sunt, prout cultus Dei alius internus, alius externus est; atque ambo actus religionis vel sunt *essentiales*, qui salva religione abesse nequeunt, sic religioni naturali essentiale est, agnoscere Dei existentiam; vel *accidentales*, qui salva religione non debent eodem modo fieri, v. g. hoc, vel illo loco, hoc, aut alio tempore orare. *Jus circa sacra* est jus quaepiam circa Ecclesiae, et Religionis in territorio civitatis existentis negotia disponendi. *Hoc jus competit imperanti civili*, quia eidem competit jus pietatem promovendi, ergo jus templa aedificandi, piorum congregationes instituendi, atheismum, idololatriam eliminandi, ergo aliquas dispositiones circa Ecclesiae, et Religionis in territorio civitatis existentis negotia faciendi, sed hoc est jus circa sacra, ergo.

Equidem religio non est proprius finis civitatis: Est tamen medium securitatem promovendi, religio enim facit homines pios, et virtuti deditos: *Atqui Christus Apostolis, eorumque successoribus dedit sacram potestatem.* Verum jus circa sacra, non est potestas ecclesiastica in sacra, vi cujus Rectores Ecclesiae substantialia, et accidentalia Religionis christianae determinant ad salutem aeternam obtinendam, sed est jus efficiendi, ut cives pii sint, ac virtutis, religionisque non fucatae studiosi ad securitatem obtinendam. *Dein* jus in sacra pertinet ad Ecclesiam universalem, jus vero circa sacra ad particularem.

§ 79.

Ne tamen erroneam de jure circa sacra habeamus cognitionem, probe advertendum est 1. illud non pertinere ad cultum Dei mere internum, quia homines corda scrutari nequeunt. 2. non se extendere ad immutanda *dogmata*, hoc est ea, quae a Deo seu per rationem, seu per revelationem sunt manifestata, quia haec salva Dei voluntate, cui etiam imperantes se accomodare debent, aliter esse non possunt. 3. Quod, qui civitatem constituunt, non potuerint pacisci, se illam religionem velle pro vera agnoscere, quae majori parti placuerit, quia vera religio non dependet ab arbitrio hominum, sed innititur tam rectae rationi, quam traditioni divinae. 4. Quod imperans neminem possit cogere, ut id pro vero agnoscat, de quo per argumenta persvasus, aut convictus nondum fuerit, quia in intellectum non cadit coactio physica. 5. Quod naturaliter nulla existat humana spiritualis potestas, quae conscientias obligaret, quia interna aliorum nemo hominum pervidere potest. *Hinc libertas conscientiae* est immunitas a coactione ad actus religiosos mere internos, et ad ea, quae vel rectae rationi, vel revelationi divinae contraria sunt; Haec cuilibet in civitate salva esse debet, quia nec actus mere interni, nec dogmata subunt imperio civili, et in conflictu officiorum obediendum est potius Deo, quam homini, Deus enim est omnium hominum, adeoque

etiam imperantium superior. *Conf. Act. Apost.* 4. *v.* 19.

Ex eo autem, quod imperans jus habeat, ut cives in pietate instruantur, non sequitur ad ejus potestatem pertinere etiam cultum internum. Quia toto coelo diversum est: cives informare, et eosdem ad actiones mere internas physice compellere.

§ 80.

Character verae religionis est etiam ille, ut ad salutem civitatis conspiret, quia idem naturae auctor et civitates, et religionem veram existere voluit, qui sibi ipsi contradicere non potest. Quapropter imperans civilis integris utitur juribus in omnes cives, cuicunque demum Ecclesiae fuerint addicti, quia nulla Ecclesia potest juribus majestaticis derogare, omnis enim debet conspirare ad salutem civitatis. *Hinc* imperans potest I. cujuslibet Ecclesiae in territorio existentis actiones essentiales examinare, non quidem, ut de illis aliquid decidat, jus enim in sacra non habet, sed ne dogmatum obtentu aliae doctrinae bono civili adversantes propalentur, quia habet jus omne detrimentum a civitate avertendi, avertere autem non potest, nisi prius examinaverit. II. Societatem ecclesiasticam civili saluti contrariam excludere, quia talis communi bono impedimenta ponit. III. Providere, ut verae Ecclesiae negotia cum salute civitatis consentiant, quia habet jus salutem civitatis promovendi. IV. Invigilare, ne quis piis exercitatio-

tionibus abutatur, aut eas pecunia prostituat, quia hoc adversatur pietati, quam promovendi jus habet.

§ 81.

V. Imperans potest prohibere, ne quis petentibus Ecclesiae officia sine justa causa et cum publicae tranquilitatis discrimine deneget, quia hoc et pietati repugnat, destituuntur enim cives informatoribus ad virtutem; et securitati, huic enim turbae opponuntur VI. Dissidentes in aliqua Ecclesia, quatenus turbas fovent, nec aliter eorum speratur emendatio, etiam territorio excludere, quia tunc non est lenius medium securitatem conservandi. VII. Efficere, ut illa religionis negotia, quae cum fine civitatis nexum habent, ex imperio civili pendeant, quia sic cum salute civitatis consentient, uti etiam illa, quorum executio sine potestatis civilis adjumento nequit obtineri; quia secus manerent sine effectu, pietas non obtineretur, nam ex sola ecclesiae notione potestas aliquem viribus physicis cogendi non intelligitur, sed quia potestas ejus est spiritualis, etiam media cogendi spiritualia. VIII. Curare res sacras, id est cultui divino dicatas, uti sunt templa, imagines, quia promovent pietatem, item bona Ecclesiastica, quia personis, quae cives ad colendam in civitate pietatem erudiunt, de dignitate, et honesta sustentatione providere debet. IX. Denique potest exortam in Ecclesia controversiam, ex qua tumultus in republica enascrerentur, provisionis more sopire, et quidem vel ita 1. ut

interim, dum legitima sacra potestas eam deciderit, constet, quid docere, aut agere externe conveniat, vel ita 2. ut liberum sit utrique parti mentem suam, sed absque contumelia declarare: vel ita 3. ut utrique parti silentium imponatur, quia imperans habet jus tumultus omni possibili modo impediendi.

§ 82.

In actionibus tamen Religionis, quae ad finem civitatis indifferentes sunt, cives libertatem habent civilem, quia tales imperio civili subjectae non sunt. Quod si inter imperium, et Ecclesiae socios lis oriatur, an aliqui actus, qui ad essentiam Religionis non pertinent, sint civitati indifferentes, vel non, v. g. ut Ecclesiae socii in aliam abeant civitatem ad tractanda negotia ecclesiastica, ut synodum celebrent, ut certam personam suae societati praeficiant, etc. tunc pro decisione imperantis civilis stat praesumtio, donec contrarium probetur, quia illi soli optime notae esse debent circumstantiae civitatis. *Nisi* speciali pacto a jure quodam sit recessum, uti si placuisset, ne in territorio falsa toleretur religio, aut ne imperans in aliam transeat ecclesiam, quia pacta servanda sunt.

§ 83.

Jus imperantis circa sacra ad tria capita reducitur: Ad *potestatem legislatoriam*, *inspectoriam*, *et executoriam circa sacra*, quia

jura

jura imperii generatim ad tria similia capita revocantur, jam autem jus circa sacra est pars imperii, continet enim jus adhibendi media ad finem civitatis: Et quidem hoc triplex jus imperanti proprium est, sive sit eidem, sive alteri religioni addictus, quia semper retinet imperium civile. Aliter discurrendum de externa ecclesiae ordinatione, seu imperio ecclesiastico, *sed permanendo intra naturalis rationis limites:* Nimirum considerandum est, an ecclesia, cui imperans civilis adhaeret, sit societas aequalis, vel inaequalis; si est *aequalis,* tunc imperans civilis non gaudet imperio ecclesiastico, sed tantum jure suffragii, quia in societate, aequali nemo habet imperium. Si autem *inaequalis,* videndum est, an eidem ipse imperans civilis, an alius praesideat, quod naturaliter fieri posse minime dubitandum est propterea, quia populus de imperio, tanquam de jure ad τῳ suum pertinente potuit pro libitu disponere.

§ 84.

Jam si in ecclesia imperans civilis habeat simul imperium ecclesiasticum, tunc potest negotia religionis externa eo modo, quo civilia dirigere, quia est et ecclesiasticus, et civilis imperans. Si vero aliud fuerit ecclesiae praepositum caput, tunc imperans civilis intuitu ecclesiae est subditus, quia in societate inaequali non sunt aliae personae, nisi imperans, et subditi. *Quo in casu* debet negotia civilia ab ecclesiasticis discernere, atque hos

limi-

limites latis legibus, et pactis confirmare, quia secus ex utriusque potestatis a se invicem independentis conflictu posset respublica detrimentum capere: *Quod idem* multo magis facere debet, si ecclesiae socius non sit, ad contentiones evitandas.

Forte dicet aliquis separando imperium ecclesiasticum a civili poni statum in statu, et rempublicam in republica, quod absurdum est. Negatur, sed duo status coexisunt, duo enim ad diversos fines tendentes rectores supremam potestatem in eosdem homines sub diverso respectu exercent, sic in republica Hebraeorum jus sacrorum erat penes Pontificem maximum, et potestas civilis penes Reges. *Vide Volf. Jur. Nat. Tom. 8. §. 64.*

§ 85.

Vi potestatis legislatoriae circa sacra haec sunt specialia imperantis jura: I. Jus de personis ecclesiasticis (quae in *genere* sunt omnes socii ecclesiae, in *specie* autem, quae immediate ad cultum divinum deputantur, seu ministri ecclesiae) toties disponendi, quoties absque ea dispositione respublica detrimentum pateretur, quia habet jus adhibendi media, quibus omne detrimentum a civitate amoveatur. II. Jus cavendi, ne horum ministrorum numerus convenientem excedat modum, quia secus tollitur aequilibrium inter nutrientes, et consumentes, quod nocivum est reipublicae, item ne bona eorum nimium quantum excrescant, quia secus sistetur rerum commercium, artificia, et opificia

cia langvescent, quod malum lata *amortizationis lege* prohibendum est. III. Jus definiendi aetatem, qua quis huic statui se addicere possit, quia hic status magnam partem a servitiis civilibus immunis est, jam autem a talibus nemo se invito imperante subducere potest. IV. Jus ritibus arbitrariis, v. g. processionibus, confraternitatibus, diebus festis aptam tribuendi formam, vel etiam boni communis causa restringendi: quia saepe ob comites abusus pietati, et bono communi adversantur, atqui imperans habet jus tam pietatem, quam commune bonum promovendi.

§ 86.

V. Jus coërcendi legibus immoderatam templorum copiam, quia vel frequentantur, vel non, si *primum*, avocant homines a laboribus necessariis, si *secundum*, inutiliter existunt, quorum utrumque nocet reipublicae; uti etiam immoderatam copiam talium personarum, quae certis addictae sodalitiis vitae genus profitentur a negotiis civilibus alienum, quia perdit respublica membra, quae agriculturae, militiae, fabricis, aliisque ejus necessitatibus forent applicanda. VI. Jus concertationibus religionis negotia tangentibus, si turbis occasionem praebeant, silentium imperandi, quia habet jus securitatem conservandi. VII. Jus prohibendi doctrinas reipublicae noxias, et libros easdem continentes, v. g. atheismum, epicureismum etc. quia habet jus Dei cultum promovendi, impieta-

pietatem evellendi, et omnia noxia a civitate propulsandi. VIII. Jus tolerandi ecclesias ex religionibus a vera alienis compositas, quia saepe ex tolerantia nullum accedit reipublicae detrimentum, sed pax, et major numerus civium: si etenim rebellionibus fomitem praeberent, habet jus non tolerandi; quia habet jus omnia impedimenta securitatis removendi.

Hinc forte inferes a gentilibus jure Doctores catholicos excludi. Verum illi tantum jure excluduntur, qui turbas fovent, ab his enim vera religio abhorret: Ceterum tenentur prius in eorum doctrinam inquirere, quam si probam inveniunt, ita impium foret eandem arcere, sicut inepium bonas artes v. g. agriculturam, mathesim eliminare. *Sed imperans civilis potest suos subditos ad veram religionem cogere, hi enim jus suas actiones dirigendi in illum transtulerunt.* Imprimis subditi quoad religionis exercitium, quod fini civitatis non adversatur, libertate fruuntur civili, quia ejusmodi exercitium ad finem civitatis est indifferens. *Deinde* media coactiva convictam cognitionem non pariunt. *Denique* fustes, exilia, gladii, rogi tunc tantum locum habent, quando adest delictum civile, jam autem non adest, dum subditi religionem licet falsam, civitati tamen innoxiam profitentur, nam salus civitatis nullum subit periculum. *Sed ex omni tolerantia imminet periculum perversionis.* Nequaquam, si Doctores pietatis, et religionis officio suo rite fungantur, plebemque sibi commissam sedulo instruant; atque si ipsi tolerati intra praescriptos se contineant limites. *Sed tolerantia falsae religionis adversatur principiis christianae religionis.* Etiam non, nam ex mandato Christi

sti obligamur proximos nostros ita amare, sicut nosmetipsos, jam autem falsae religioni dediti sunt nostri proximi.

§ 87.

Vi autem potestatis inspectoriae circa sacra imperans habet I. *Jus Placeti Regii*, seu jus inspiciendi omnes Ecclesiae ordinationes, et edicta ante promulgationem, et si nihil contineant adversum fini civitatis, *confirmandi*, secus earum promulgationem *suspendendi*, primum ideo, quia legibus ecclesiasticis addendo robur civile promovet pietatem, secundum ideo, quia habet jus omne detrimentum a civitate avertendi, praesertim cum vera religio fini civitatis adversari nequeat. II. Jus negotia ecclesiastica a civilibus separandi, quia secus orientur collisiones, consequenter nec illa, nec haec bene administrabuntur, quod et ecclesiae, et civitati noxium est. III. Jus convocandi ministros sacros, ut negotia ecclesiastica ordinent, vel eam in rem eorundem consilia exquirendi, quia sic efficacius pietas promovebitur. IV. Jus *heterias*, id est suspecta conventicula cohibendi, quia plerumque detrimento sunt civitati. V. Jus urgendi dogmatum observantiam, quia sic erunt cives reipsa pii, atque verae virtuti dediti.

Non objicias, cum imperantibus ecclesiasticis non competat jus placeti, nec debere competere civilibus. Disparitas est nam civiles imperantes ante inductam in civitates Ecclesiam christianam independenti leges suas promulgandi potestate gaudebant, quam Christus

nul-

nullibi imminuisse legitur. *Deinde* lex civilis justa nunquam nocet fini ecclesiae, illam enim observantes cives meritum habent ad salutem aeternam, lex autem ecclesiastica in se etiam justa nocere potest fini civitatis, ob varias ejus circumstantias, quas imperantes ecclesiastici juste ignorant.

§ 88.

VI. Jus praecavendi, ne *schismata*, seu pertinax inobedientia erga legitimos superiores ecclesiasticos oriatur, quia graves solent in civitate excitare tumultus. VII. Jus colloquia, et tractatus instituendi, si lites circa sacra existant; quia hac ratione concordia, antequam animi in odium abeant, reducetur. VIII. Jus invigilandi, ut res sacrae suis usibus adhibeantur, quia rerum sacrarum abusus pietatem convellit. IX. Jus pacta civium de negotiis ecclesiae examinandi, et si reipublicae noceant, antecedenter irritandi, uti sunt sponsalia, et matrimonia, non obstante, quod illis juramentum, vel votum accesserit, quia actiones, quae ab alterius potestate pendent, eo invito promittere non licet, secus enim erunt nullae, nam sine jure ponentur, jam autem sponsalia, matrimonia a potestate civili pendent, sunt enim contractus civiles, nam concernunt impopulationem, quae magnum habet influxum in finem civitatis; Et juramentum, atque votum, seu promissio Deo facta, sequuntur naturam actus, cui adjiciuntur. *Hinc imperans civilis potest statuere impedimenta matrimonii*, uti communiter vocantur *diri-*

men-

mentia, quae videlicet contractum matrimonialem et illicitum, et invalidum simul reddunt, quia talia impedimenta respiciunt matrimonium tanquam contractum civilem, contrahendi enim restringunt facultatem moralem, jam autem de contractibus civilibus disponere spectat ad imperantem civilem.

Equidem natura jus tribuit homini ad ineundum matrimonium, Sed etiam eadem natura nos obligat ad servandas leges civiles, ideo non omnis societas, quae naturaliter est licita, est etiam civiliter licita. *Credo etiam matrimonium esse sacramentum*, si debita adsit materia, forma, et minister, jam autem materia est contractus naturaliter, et civiliter validus, neque enim potest ecclesia contractum publicis legibus damnatum majestate sacramenti dignum existimare, de valore vero contractuum civilium leges ferre est civilis imperantis,

§ 89.

Vi denique potestatis executoriae circa sacra sequentia competunt imperanti jura: I. Jus excludendi a directione ecclesiae personas illas ecclesiasticas suae civitatis, quae sibi suspectae, aut seditiosae sunt, quia habet jus omne detrimentum a civitate avertendi, cum praesertim rectores ecclesiarum non leve in civium animos imperium habeant. II. Jus dandi recursum illis, qui per manifestum abusum ecclesiasticae potestatis vexantur, quia, tunc laeduntur cives, jam autem cives ab omni injuria, unde unde imminente securos praestare pertinet ad officium imperantis. III. Jus assistendi

di ecclesiae sua auctoritate, id est *brachio seculari*, si vel res sacrae, vel ecclesiasticae, vel ministri ecclesiae violentur, quia haec omnia summa semper observantia sunt colenda, secus pietatem labascere necesse est. IV. Jus in ecclesiae hostes, si simul fiant reipublicae hostes, poenis etiam corporis afflictivis animadvertendi, vel ejiciendi, quia tunc simul delictum civile committunt, jam autem delinquentes puniendi jus habet imperans. V. Jus leges ecclesiasticas sanctione civili muniendi, quia sic pietas magis observabitur, et propter legem ecclesiasticam, et civilem. VI. Jus eminens in personas ecclesiasticas, et bona eorum, quia jus eminens competit imperanti in omnes cives, et omnia bona privatorum, jam autem personae ecclesiasticae sunt cives, ita enim gaudent securitate, aliisque juribus ex civitate profluentibus, sicut ceteri, et bona eorum sunt privata, quia proprietas, et usus illorum ad eos pertinet, manent tamen in territorio civitatis. *Deinde* religio non est modus tollendae obligationis, aut juris amittendi, nulla enim religio potest juribus majestaticis derogare. *Denique* Haec jura aperte confirmat religio christiana: Math 22. *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo,* Item Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit — non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

CA-

Caput IX.

De officiis eorum, qui gubernant civitatem.

§ 90.

Fons, ex quo officia specialia imperantis civilis deducuntur, est finis civitatis, quia principium cognoscendi jura, et obligationes, adeoque etiam officia sociorum est finis societatis, *Deinde* Imperans illis, qui se subjecerunt, tacite repromisit curam salutis publicae, sub hac enim conditione se subjecerunt, secus non intrassent civitatem. Idem etiam fons est officiorum specialium pro ministris civitatis, quia hi in partem regiminis, seu exercitium imperii civilis vocantur. *Habet quoque ipsa civitas quaedam officia erga se,* quia est persona moralis, quaelibet autem persona moralis habet officia erga se: sic debet se in consociatione *conservare*, atque pro ratione finis *perficere*, ut adeo obligentur se singuli cives ad munera publica idoneos reddere, intellectum, et voluntatem excolere, omnia pericula interitus, et impedimenta perfectionis amoliri, efficereque ne civitas barbara, sed docta, culta, justa, et potens habeatur, quia omnis persona moralis obligatur se conservare, perficere, atque suam existimationem augere.

§ 91.

Primum imperantis civilis officium est, ut suam rempublicam noscat, ejus finem, statum, vires,

res, jura, et obligationes intime perspiciat, atque constantem habeat voluntatem ea tantum faciendi, quae ad bonum ejus regimen spectant: quia obligatur omnes vires eo impendere, ut civitas officia sua erga se impleat, secus actum est de salute publica, jam autem ad id, ut quis suae obligationi satisfaciat, necessarius est intellectus, et voluntatis consentiens usus. *Hinc* imperans debet sibi comparare cognitionem legum reipublicae tam universalium, quam particularium, tum notitiam non tantum domesticae, sed aliarum quoque rerumpublicarum historiae, atque scientiam jurium populi, quia ista sunt media penitius noscendi suam rempublicam, illaque addiscendi, quae ars gubernandi latissime patens exigit: *Deinde* debet omittere illa studia, quae a scopo regiminis avocant, uti esset *astronomia*, atque restringere tales occupationes, quae eidem fini adversantur, v. g. *perpetuas venationes*, quia qui obligatur ad finem, obligatur adhibere media, et tollere impedimenta. *Denique* non debet esse contentus *vulgari* notitia historiarum parum sollicitando seu verae, seu fabulosae sint, sed inquirere *in scientificam*, quae ex solidis scientiarum principiis hauritur, quia haec parit claram, et distinctam, illa vero confusam, et obscuram cognitionem, unde facile voluntas in transversum agitur, jam autem imperans debet constantem habere voluntatem ea tantum faciendi, quae ad bonum civitatis regimen spectant.

§ 92.

§ 92.

Circa potestatem legislatoriam sequentia sunt imperantis specialia officia: I. Ne leges ferantur prolixae, aut vagae, quia neutrae observabuntur, *prolixas* enim quilibet memoria retinere nequit, *vagae* autem eluduntur. II. Ne leges libertatem sine causa restringant, aut plures ferantur, quam finis civitatis deposcat, quia potestas legislatoria mensuram accipit ex fine civitatis, ad quem assequendum se imperans etiam obligavit. III. Obligatur in singulares indagare civitatis circumstantias, atque in hunc finem plurium suffragia explorare, quia leges debet ferre circumstantiis convenientes, sed eas omnes per se scire nequit. IV. Obligatur ipse leges civiles observare ad dandum civibus bonum exemplum, quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* V. Privilegia non nisi rarissime concedere, quia sunt vulnera legum, ergo non nisi in conflictu boni publici possunt concedi, jam autem talis conflictus raro evenit, regulariter enim bonum publicum unitis viribus promovendum est. VI. Obligatur cavere, ne, dum leges civiles ex naturalibus addendo, vel detrahendo condit, errores quosdam pro jure naturae assumat, quia tunc leges civiles adversarentur legibus naturalibus: *Immo* si tali ratione statutae existerent, abrogandae sunt, quia leges civiles contrariae naturalibus tolerari non possunt; At leges naturales, quas sanctius observari speciatim reipublicae profuerit, debent novis poenis muniri, quia duplici sanctione

in-

instructae efficacius observabuntur. VII. Non debet admittere, ut ob minimam injuriam litibus locus detur, quia majus malum est ob minimam laesionem litigare, quam illam pati, retardantur enim causae gravioris momenti, *Hinc* determinandae sunt laesiones, ob quas liceat judicia fatigare, quia secus debebit praetor minima curare. VIII. Si leges peregrinas velit inducere, obligatur prius inquirere, an sint bono communi congruae, atque si receptae evadant sive ob mutatum rerum statum, vel agnitum errorem noxiae, rursus abrogare, quia jus ferendi leges mensuram accipit ex fine civitatis.

§ 93.

Circa potestatem vero inspectoriam tenetur I. societates minores, et collegia saluti publicae subordinare, quia secus multitudo posset nocere reipublicae. II. Utilia collegia erigere, et noxia tollere, quia ideo habet potestatem inspiciendi, ut media ad finem civitatis apta adhibeat, et impedimenta removeat. III. Instituere sanam politiam, quia sine hac nascetur in civitate penuria rerum necessariarum, peribitque securitas. *Hinc* tenetur praecavere factiones, et sectas, quia tranquillitatem civium turbant, fovere artes lucrativas, opificia, et commercia propagare, quia augent patrimonium; contra ea omnia prohibere, per quae bona civitatis pessumdantur, quo etiam luxus excessivus pertinet, quia imminuunt patrimonium: *Item* non admittere, ut ii pro libitu rerum pretia statuant, qui

res

res potissimum necessarias vendant, quia secus multi rebus necessariis destituentur; Sic etiam studia bonarum artium iis non committere, qui ex aliorum ignorantia lucrum captant, aut noxias doctrinas inculcant, quia hac methodo cives intellectum, et voluntatem haud perficient, jam autem sana politia in eo versatur, ut singulis de rebus necessariis, utilibus, et jucundis, atque tranquillitate sit prospectum.

§ 94.

IV. Tenetur imperans impedire, ne religio sive avaritiae, sive praepotentiae servire cogatur, quia utrumque pietati adversum est: Sed nec est religio armis propaganda, quia arma sunt vis physica, quae non cadit in intellectum, in cujus convictione religio sita est; hanc tamen adversus hostiles impetus defendere debet, quia obligatur omnibus etiam in exercitio religionis securitatem praestare. V. Religionis dogmata, et ea, quae in externo cultu cum his essentialiter cohaerent, non attingere, quia essentialia religionis imperio civili non subsunt, attamen efficere, ut ea sancte observentur, quia ita cives et *doctiores*, scient enim suam religionem, et reddentur *meliores*, custodia enim substantialium religionis virtutes auget.

Equidem salus aeterna non est proprius civitatis finis, sed qui in civitatem convenerunt, nec volebant, nec poterant officiis erga Deum renunciare.

§ 95.

Officia demum imperantis circa potestatem executoriam sunt: I. Debet semper promtas ad protegendam civitatem habere vires, id est commeatum, peritos duces, militem exerciatum, exploratores, et alia, quae artis militaris regulae postulant, quia sine his securitatem externam non procurabit; Non debet quidem bellum ob causas frivolas inchoare, quia praestat minores laesiones dissimulare, quam civitatem periculis exponere; si tamen adsit necessitas belli, omnia mature paranda sunt, quia miserum est opus, tunc fodere puteum, ubi sitis jam fauces tenet. II. Laesis auxilio adesse, subditis gravamina exponentibus, aut protectionem implorantibus faciles aures praebere, quia singulos cives ab omni injuria tutos praestare tenetur, ideo etiam debet jus cuique suum reddere, *sed promte*, quia secus litis expensae ipsam excedent sortem. III. Poenas exigente fine civitatis temperare, asyla restringere, et nunquam innocentem pro nocente punire, quia ita cives periculo novarum laesionum exponeret, maleque jure puniendi uteretur.

§ 96.

IV. Non debet majora onera ex bonis privatorum exigere, quam finis civitatis postulet, quia jus disponendi de bonis civitatis, atque ipsum jus eminens mensuram accipit ex fine civitatis. *Hinc* vectigalia, et tributa imponenda sunt habita proportio-

tio-

tione ad quantitatem, et qualitatem bonorum, faciliorque modus illa percipiendi constituendus, quia non tam onera ipsa, quam inaequalitatem eorum, et acerbum exigendi modum graviter ferre solent cives. V. Debet sibi consiliarios assumere, quia debet esse instructus scientia eorum, quae ad bonum regimen spectant, ergo debet omnia negotia publica, et inprimis ea, quae consilium in arena desiderant, accurate decidere scire, jam autem hoc unius, aut etiam plurium imperantium limitatas vires excedit. *Deinde* saepe in gubernatione reipublicae occurrunt casus dubii, saepe res una pluribus modis perfici potest, jam autem tunc rationes in utramque partem allatae maturius a pluribus trutinari possunt, ut dijudicetur, quid sit utilius, ideo etiam dicitur: *plures oculi plura vident.*

Non nego Principes multa pollere scientia, sed nego eosdem consiliariis carere posse: Nam ad bonum regimen theoria propriorum officiorum non sufficit, sed practica notitia rerum singularium, earumque diversissimarum necessaria est, quibus ipsa scientia, seu veritates generales applicari debent, jam autem tot, tamque diversa facta cognoscere superat captum unius hominis.

§ 97.

Verum consiliarii istis sint, oportet, praediti qualitatibus: 1. Sint *sapientes*, hoc est sciant media apta eligere ad finem civitatis, sapientia enim est scientia eligendi media ad finem bonum obtinendum, quia secus non possunt suppeditare bona

 con-

consilia. 2. Sint *virtuti dediti*, id est habeant habitum leges custodiendi, quia omnia consilia eo demum recidere debent, ut per custodiam legum finis civitatis obtineatur, 3. *Sint prudentes*, seu sciant bene excogitata recte exequi, prudentia enim est facultas bene excogitata recte exequendi, quia alias frustranea erunt bona consilia. 4. Sint *jurium majestaticorum periti*, quia in horum exercitio debent imperanti consulere. 5. Sint *exemplo aliis*, quia hoc trahentur reliqui cives ad promtius observandas, quae ex illorum consiliis promanarunt, leges. 6. Sint *rerum humanarum scientia imbuti*, quia haec docebit sapientiam, et prudentiam. 7. Denique sint *cordati*, hoc est tales, qui veritatem sine ambagibus debita tamen cum reverentia imperanti exponant, quia imperantem nihil debet latere, quod ad gubernationem reipublicae pertinet. Hinc mali sunt consiliarii *adulatores*, qui ut benevolentiam captent, ea tantum svadere solent, quae inclinationibus imperantis placitura sciunt, ejusque judicia tunc maxime, dum veris circumstantiis minus sunt conformia, data opera mirantur, atque exquisita sollicitudine collaudant. Quia tales non sunt cordati, celant veritatem, quae sua sunt, quaerunt, non quae civitatis, prostituuntque imperantem, ac si ille tantum adulationibus caperetur. Confer Márlii theatr. polit. cap. 21. Sic etiam mali sunt consiliarii, *nugivenduli*, qui fumos, et inania captant, multum loquuntur, sed parum dijudicant, quia isti nec sapientiam, nec prudentiam habent.

§ 98.

Denique vi potestatis executoriae debet imperans munera publica sapienter distribuere, quia secus negotia reipublicae male administrabuntur. *Qua in re sequentes regulae observandae sunt.* I. Non debet attendere ad solum natalium splendorem, vel patrimonii magnitudinem, sed omnibus viam facere ad officia, quicunque virtute, et habilitate se distingvunt, quia ministri non nascuntur, sed fiunt, aptitudinem enim ad officia nec nativitas nec pecuniae tribuunt, sed acquiritur diligenti applicatione. II. Debet academias, et lycea instituere, quia in his discendo varias scientias habilitatem sibi comparant ad publica officia, *verum* non statim possunt ex academiis reduces juvenes ad eadem applicari, sed debent suam indolem, et ingenium in ipsis rebus gerendis diu probare, quia in academiis discunt principia, et generales veritates, quas etiam casibus obvenientibus accomodare scire debent, hoc autem experientia docet, theoria enim sine praxi manca est. Quapropter imperans debet imitari agricolas, qui malas evellunt herbas, contra implantant ramusculos, eosque excolunt, ut in senescentium arborum locum substitui possint. Quia si apti desint viri, non est semper juventutis culpa, sed imperantium, qui media informandae juventutis neglexerunt,

§ 99.

§ 99.

III. Non munera personis, sed personae muneribus debent accomodari, quia non est idem ingenium, et indoles omnibus hominibus, sed alii aptiores sunt ad arma, alii ad expediendas lites, etc. jam si aptus militiae ponatur ad tractanda jura; hoc suum male obibit officium, qui pro patria strenue bellavisset, quod nocivum est civitati. IV. Semper debet digniores praeferre minus dignis, quia minus digni in comparatione digniorum indigni sunt, quales ad munera publica promoveri non possunt: *Deinde* plus nocet officium uni contulisse parum digno, quam si centum alii merita praemia consequantur, per id enim torpescunt boni, defervet aemulatio, negligunt et reliqui munus suum. Hinc ad solas commendationes, partium studia, aut *nepotismum*, seu cognationum et affinitatum favorem attendere non debet, quia sub his saepe indigni latent. *Sed nec* propter formam externam solam munera conferenda sunt, quia frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur.

§ 100.

V. Actionibus vero denominatorum officialium debet invigilare, quia ex illis intelliget, an omnes munere suo rite fungantur; *Eorum consilia dirigere*, quia sic facilius discernet, num ipsi forte non fallant, vel fallantur. *Immo* investigare inclinationes, atque affectus, ac propterea philosophiam moralem excolere, quae regulas artis con-

je-

jectandi hominum mores docet, quia inclinationes, et affectus totam hominis indolem produnt; Haec ars etiam ceteris minoribus potestatibus necessaria est, quia secus saepe ab aliis inferioribus deceptae decipient imperantem. VI. Debet suos ministros, et consiliarios audire, quia alias frustra viros digniores conquisivisset; Atque honestam illis dare sustentationem, quia rebus necessariis destituti vel negligent, vel plane venumdabunt suam administrationem. VII. Saepius eorum administrationem examinare, quia boni aliquando fiunt mali: Et si fraudem comiserunt, punire, quia poena etiam alios attentiores facit in muneris sui expletione. *Attamen* illi, qui bonum dedit consilium, sed fortuito malus est secutus eventus, nulla potest fieri imputatio; quia casus nemini potest imputari. *Cetera disciplinae politicae docebunt.*

Caput X.

De officiis subditorum civitatis.

§ 101.

Subditi civitatis triplicis sunt generis: alii *imediati*, qui se imperio civili per pactum unionis subjecerunt, tales sunt *omnes cives:* alii *mediati*, qui vi imperii domestici subsunt imperanti, tales sunt *filii familias*, *et servi*, alii denique sunt

su-

subditi temporarii, qui vi juris territorialis ea cuncta omittere debent, quae securitatem turbant, tales sunt *peregrini*. *Hinc* imperans potest filiosfamilias, et servos cogere ad actiones, quae cum fine civitatis nexum habent, v. g. ad militiam, ad munera publica, quia in his ipsum imperium domesticum subest imperanti, *Non potest autem* cogere ad actiones civilter indifferentes, puta, ut certam personam ducant in matrimonium, vel artem determinatam addiscant, quia in talibus Patresfamilias habent libertatem civilem, *nisi illas* conflictus cum securitate communi sibi deposceret, quia tunc non essent ad finem civitatis indifferentes.

§ 102.

Officia autem subditorum immediatorum, et mediatorum sunt duplicia: alia generalia, quae ex obligatione civitatis fundamentali parendi summo imperio fluunt, alia *specialia*, quae ex peculiari cuivis demandato munere oriuntur. *Illa sunt communia*, quia parere imperio omnes subditi debent, *haec vero sunt propria*, quia idem officium non demandatur omnibus. Praeterea *illa* hac propositione continentur: *Vive, quantum in te est, convenienter juribus majestaticis*, quia hoc idem est, ac parere summo imperio. *Ista autem* hoc axiomate enunciantur: *Nullum ambias munus, ad quod idoneus non es, quam vero spartam nactus es, hanc orna:* quia in habilibus nullum potest conferri, negligentes autem

tem debent puniri. Videamus primum officia generalia.

§ 103.

Primum generale officium subditorum est ea facere, quae ab imperante praecipiuntur, et omittere, quae prohibentur, quia hoc est esse subditum, secus inane esset imperium civile. Et quidem subditi imperanti civili obedire obligantur tam pro foro externo, quam pro foro interno: *pro foro externo ideo*, quia inobediens laedit imperantem, impedit enim eum in exercendo imperio, jam autem contra laedentem datur jus cogendi, jus mala physica infligendi; *pro foro interno ideo*, quia lex naturalis praecepit civitatem, consequenter imperium, cui correlata est obligatio parendi, jam autem lex naturalis in conscientia obligat, est enim divina: Accedit sacra scriptura: Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Figmentum autem sunt leges mere poenales, seu tales, per quas imperans nonnisi poenam intendit dictatam. Quia tales adversantur naturae potestatis legislatoriae, haec enim mensuram accipit ex fine civitatis, ergo per leges non potest intendi sola poena, sed bonum publicum; *Deinde* adversantur legibus naturalibus, si enim imperans pro fine legis poenam potius, quam ejus observantiam haberet, tunc ex poena perciperet voluptatem, et porro subditos odio persequeretur, quod legi naturali repugnat.

§ 104.

§ 104.

Secundum: Obligantur tam ad actiones negativas, quam etiam affirmativas, hoc est, non tantum non turbare finem civitatis, sed illum positivis actionibus promovere, quia vel immediate, vel mediate subjecti sunt imperio, quod est jus perfectum, et affirmativum in actiones subditorum. *At peregrini*, si in civitatem admittantur, tantum ad actiones negativas obligantur, quia se imperio non subjecerunt. *Interim* 1. ex facto proprio possunt teneri ad actiones affirmativas, v. g. si contraxerant, vel deliquerunt, quia ut contractus impleatur, et damnum reparetur, opus est actione positiva. 2. Si aliquae leges affirmativae in ipsos peregrinos latae sint, quia intrando civitatem se illis tacite subjiciunt: 3. Debent onera praestare rebus publicis adnexa, si iis utantur, quia civitas usum rerum suarum nemini gratis dare obligatur, sed etiam ideo, ne, res suas viliori, quam incolae vendentes pretio, hos honesta sustentatione fraudent.

§ 105.

Qui ad actiones negativas obligatur, *generatim* debet abstinere ab omni laesione, quia qui ad actiones negativas obligatur, debet implere leges perfectas, quibus abstinentia a laesione satisfit: *Speciatim* autem I. Non debet ponere impedimentum imperanti, qui actiones subditorum ad externam felicitatem dirigit, quia impedire alterum in usu juris sui est laedere, *Contra hoc peccant*, qui

in

in jus vocatum vi, aut dolo retinent, qui captivum subducunt, qui desertores militiae abscondunt, qui delectum pro militia habentibus resistunt, quia isti impediunt imperantem in exercitio juris sui. II. Non debet inire societatem, quae ab imperante nec erpresse, nec tacite est confirmata, quia talis est injusta. III. Non debet laesionis depulsionem, aut damni reparationem propria auctoritate, sed imperantis persequi, quia secus laedit potestatem imperantis judiciariam. *Contra hoc peccant*, qui debitores ad solvendum propria vi compellunt, qui rixas concitant, promoventque, qui duella ineunt, quia sibi propria auctoritate satisfactionem impendunt. IV. Non debent male agendi occasionem dare, v. g. aleam fovere, aut turpes conciliare amores, quia est impedire alios in jure se perficiendi, quod laedere est. V. Non debet suorum concivium commoda intervertere, v. g. per annonae flagellationem, per illicita monopolia, quia hoc est suum aliorum violare.

§ 106.

Qui autem obligatur ad actiones affirmativas, *generatim* tenetur abstinere ab otio, comissa sibi munera suscipere, et rite administrare, aliis bene agendi opportunitatem praebere, denique ad salutem publicam omnibus viribus conniti, quia legibus affirmativis nonnisi actionibus positivis potest satisfieri. *Speciatim* vero incumbit illi I. Jussu imperantis arma capere, civitatem tueri, et operas

prae-

praestare militares, quia sunt actiones affirmativae sine quibus securitas obtineri nequit, *Contra hoc peccant*, qui a militia se per fugam, vel mutilationem subtrahunt, quia detrectant civitatem tueri. II. Pupillorum *tutelam*, civiumque minorennium *curam* gerere, quia est officium publicum, quod suscipere, et rite administrare tenetur, qui ad actiones affirmativas obligatur; *nisi* vel physica, vel moralis adesset impotentia, quia ad impossibilia non datur obligatio, *verum* talis se *excusare* debet, hoc est, justam causam allegare, quia ab oneribus, et officiis nemo se ipsum dispensare potest. III. Laborare, quia labor pertinet ad actiones affirmativas, *Sed* praeferendi sunt labores illi, quibus securitas quam maxime promovetur, adeoque senes, officiales civiles, feminae, sacerdotes, debiles ad militiam non sunt cogendi, si adsint validiores, quia labores necessarii praeferri debent utilibus. *Ceterum* extranei neque ad tutelam, neque ad bellum, aliaque munera adigi possunt inviti, quia ad actiones affirmativas non obligantur. IV. Patriam suam amare, quia tenetur eam perficere, ergo etiam voluptatem ex ejus perfectione percipere, quod amare est; A *patria* differt *locus nativitatis*: quia patria est territorium ejus civitatis, cujus membra sumus, non item locus nativitatis, potest enim quis etiam extra patriam nasci.

§ 107.

§ 107.

Tertium officium : Quod emigrare non possint ; Est autem *emigratio* discessus personae civilis e civitatis territorio sine animo amplius redeundi factus. Quia emigrans se ab actionibus affirmativis absolvere tentat, quod, non licet, promisit enim universis se velle unitis viribus tendere ad communem finem: *Deinde* non licet e societate invito altero socio excedere, *Denique* emigratio adversatur amori patriae. *Hinc* imperans habet jus emigrantem a vicina gente repetendi, et puniendi, quia emigrando deliquit, delinquentes autem habet jus puniendi.

Boehmerus ait civem se tantum subjecisse ad tempus, quo in civitate manserit. Falsum est, nam promisit societatem civilem, quae perpetua est. *Sed nullum inde imperanti fit praejudicium.* Etiam falsum est, nam imperans privatur invitus jure, quod habet in actiones affirmativas civis.

§ 108.

Circa emigrationem sequentia sunt notanda: I. Licita est emigratio, si in eam civitas consentiat, v. g. si subditos alere, eorumque opera uti nequeat, vel si emigratio ex occupata ab hostibus provincia sit pace confecta, quia tunc civitas juri suo renunciat. II. Solet aliquando consensus dari a conditione suspensus, ut emigrans ad certum tantum locum transire possit, quae sancte servari debet, quia secus deerit consensus, sine quo illicita

est

est emigratio. III. Talis conditio solet etiam rebus adjici, ut, si bona e regno efferantur, certus emigrationis census praestetur, quia imperans non tenetur gratis cedere juri suo eminenti, quod habet in bona civium. IV. Quod imperans juste possit uti tam in bonis suorum civium, quam etiam peregrinorum (*si hi prius de ea lege fuerunt admoniti*) jure albinagii, id est, hereditatem, vel legatum defuncti civis, aut peregrini extraneis denegare: in bonis suorum civium propterea, quia in ea habet jus eminens, in bonis autem peregrinorum propterea, quia potest eos nonnisi sub hac conditione in territorium admittere, quo in casu intrando civitatem eidem se subjiciunt, et volenti non fit injuria.

§ 109.

V. Extraneus, si munus aliquod suscepit, illud invito imperante deponere non potest, et emigrare, quia assumendo munus se permansurum in civitate obligavit, nisi fuisset evocatus sub certis conditionibus, quae non implerentur, quia deficiente conditione, deficit conditionatum. VI. Imperans non habet jus cogendi cives, ut emigrent, quia non potest cives jure ex pacto unionis quaesito ad securitatem privare, *nisi* ob aliquod delictum, v. g. ob turbas aliter inemendabiles exilium mererentur, quia delinquentibus potest poenas assignare.

§ 110.

Quartum officium: Si civitas ad eum statum deveniat, ut, nisi civis innocens hosti dedatur, tota sit peritura, tunc 1. civis innocens tenetur se ipsemet hosti dedere, quia ab initio quisque pollicitus est bonum proprium bono publico se posthabiturum. 2. potest eum civitas vi potestatis eminentis deserere, quia potest malum minus prae majori eligere, immo 3. potest eum simpliciter hosti extradere, quia civitas millia militum praesenti mortis periculo exponere potest. :

Dicet aliquis: sed civitas nonnisi in delinquentes habet jut vitae, et necis. Ita, at in hoc casu non occidit innocentem civem, tantum exponit periculo. *Sed Lupi ab ovibus canes sibi tradi postularunt obtentu pacis: reipsa autem, ut oves facilius devorarent. Phaedr.* Si non adsit sufficiens certituto, hoc remedio civitatem ab interitu liberandi, cessat ratio deditionis, quia cessat esse medium ad finem.

§ 111.

Quintum officium: Ut abstineant a criminibus *laesae majestais, rebellionis, et perduellionis;* quia his quam maxime perturbatur securitas civitatis, atque majestas, quae sancta, et inviolabilis esse debet, immediate laeditur. Est autem *laesae majestatis reus*, subditus inobediens, qui sibi jura quaedam majestatica arrogat, *rebellionis reus,* subditus inobediens, qui directe, et animo doloso armis, tumultu, vel conspiratione securitatem civi-

civitatis pessumdare tentat: *perduellionis reus*, subditus inobediens, qui in ipsas personas imperantium aliquid hostile molitur. *Hinc* facile est intelligere crimina: *Laesae Majestatis*, *Rebellionis*, *et Perduellionis*, de quibus manifesta sunt haec consectaria: I. Rebelles gerunt bellum, quia produnt conatum efficacem aliis mala inferendi per vim, *sed tantum in sensu lato*, quia bellum proprie inter gentes, hominesque sui juris geritur; et ideo bellum rebellium *seditio* appellatur. II. Rebelles negative, seu *contumaces* sunt, qui ex propositio mandatis imperantis non parent, vel ejus statuam, imaginem, aulam, *salvam gvardiam*, seu litteras protectorias, quibus certis personis, rebusque immunitas ab hostilitatibus conceditur, non honorant, qui contra regiminis morbos concionantur, quia tumultibus dant ansam: Etsi enim mala ita se haberent, longe tamen aliis remediis forent corrigenda.

§ 112.

III. Non sunt rebelles, qui gravamina demisse exponunt, sed querulantes, et *minus contenti*, quia turbas propterea non concitant. IV. Proprie crimen *laesae majestatis divinae* non datur, quia Deus sic laedi non potest, ut ejus perfectiones diminuantur, sunt enim ei internae, et essentiales, ex analogia tamen, seu similitudine petita a crimine laesae majestatis humanae, illi laesae majestatis divinae rei dicuntur, qui honorem Deo debi-

debitum non praestant, qui attributa soli Dei propria sibi, aut creaturis aliis attribuunt. V. Peregrini etiam non sunt stricte rebelles, sed hostes, quia non sunt subditi stricte tales. *Sed nec* laesio soli privato civi illata ad rebellionis crimen pertinet, quia directe tantum privata turbatur securitas, indirecte autem publica, crimen autem rebellionis est inobedientia subditi conjuncta cum directa, et animo doloso facta publicae securitatis turbatione.

§ 113.

Si aliquis ex familia crimen perduellionis patravit, ejus uxor, et liberi innocentes puniri non possunt, quia poenae suos debent tenere auctores. Possunt tamen aliquando bonis paternis privari, vel cogi ad mutandum nomen, vel discessum ex territorio, quia hoc talium infortunium est subinde medium securitati obtinendae necessarium, docuit enim expereutia liberos, atque agnatos suorum necem ulcisci volusse.

Hobbesius putat perduellium etiam innocentes liberos occidi posse: 1. quod cum perduellibus geratur bellum, in quo etiam innocentes occiduntur. 2. quod illorum occisio sit defensionis reipublicae species. Respondeo ad *primum*: In perduelles datur quidem jus belli, sed latius accepti, nempe jus malis physicis eos afficiendi tanquam delinquentes, seu jus puniendi, quod per modum judicii exerceri debet, in judicio autem facile est discernere nocentes ab innocentibus, non item in bello, in quo praeterea innocentes non ex nostro proposito, sed casu quodam vitam perdunt. Ad *se-*

 cun-

cundum: Dantur leniora media defensionis, videlicet privatio bonorum paternorum etc., non licet autem adhibere duriora, quamdiu leniora sufficiunt.

§ 114.

Imperans pactum cum rebellibus initum etiamsi in captivitate ad id fuisset inductus, servare debet, quia paciscendo cum rebellibus censetur illis reatus gratiam facere, secus enim nullus conducibilis foret modus unionem cum seditiosis restaurandi, sed vel utraque pars, vel alterutra internecione deleretur, ergo pactum cum iis init tanquam cum non rebellibus, jam autem pactum cum non rebellibus initum servare debet.

Equidem pactum metu injusto extortum nullum est, si tamen super metu incuso transigatur, validum est, tunc enim jam licita est promissionis acceptatio. *Verum etiam est, rebelles posse puniri.* Sed non amplius, si iis omnis reatus facta sit gratia. *Denique imperantem habere jus supereminens.* Huic tamen locus est tantum in statu civitatis extraordinario; in quo alios etiam nunquam rebelles cives juribus suis destituere licet, quia salus civitatis suprema lex est.

§ 115.

Sextum denique generale officium subditorum civitatis est tempore justitii observandum. Justitium est status, in quo judicia cessant, et quidem vel *universale*, si in tota civitate, vel *particulare*, si in aliqua solum civitatis parte judicia non celebrentur, *Dein* aliud est

ne-

necessarium, quod ob publicas calamitates invito imperante invalescit, v. g. ob pestem, seditionem; aliud *voluntarium*, quod ab imperante indicitur, v. g. tempore messis; *Denique* aliud est *continuum*, *perpetuum*, quando nulla est spes judicia restitutum iri, aliud *temporaneum*, quando potestas judiciaria nonnisi ad aliquod tempus suspenditur. Jam I. si justitium sit necessarium, sed tamen particulare, neque sit in mora periculum, tunc propria auctoritate sibi justitiam administrare non licet, quia adsunt media leniora, vel expectare restitutionem judiciorum, vel superiora adire tribunalia, tunc enim judicia generatim non cessant; *Ast si* ex mora summum nasceretur periculum, nec judex statim adiri possit, v. g. si quis injuste meam possessionem, vel vitam aggrediatur, vel in insula deserta, aut oceano me laedat, licet se ipsum defendere, quia jus defensionis est jus connatum, et stricte tale, cui simpliciter non poterat renunciari.

§ 116.

II. Si justitium sit voluntarium, licet universale, temporaneum tamen, resque moram patiatur, tunc etiam non licet jus suum propria auctoritate persequi, quia minus malum est aliquo tempore expectare judiciorum restitutionem, quam turbas concitare. Quod si autem res moram non pateretur, v. g. ageretur de vi, de alimentis, eundum est ad judicem, quia feriae judiciales ad similem speciem non solent extendi. III. Si justitium vo-

luntarium fiat particulare, v. g. alicui denegatur justitia, vel imperans concedit debitori *moratorium*, hoc est, inducias solvendi: tunc hoc malum silentio oportet involvere, quia est minus malum, quam tumultus facere. IV. Hinc perniciosa est illorum doctrina, qui putant civem injuste condemnatum tacita uti posse compensatione, quia praefert bonum privatum publico, nimirum ordini, et vigori judiciorum in civitate ob securitatem servando, quia compensans arrogat sibi, et quidem in propria causa potestatem judiciariam, quia detectus potest ut fur puniri.

§ 117.

V. Si justitium sit necessarium, atque universale, et perpetuum, tunc cives redeunt ad statum naturalem, quia suffertur nexus civilis, desinit imperium, et oritur anarchia, in qua status naturalis viget. *Hinc*, si deinde civitas restituatur, omnia interim gesta, integra manere debent, quia quae in statu naturali geruntur, externe saltem justa sunt; *Deinde* sine summa perturbatione ad priorem statum vix restitui possunt, *nisi* aperte de injustitia possessionis constaret, quia haec etiam in statu naturali externe injusta est, et suo dominio restitui debet. *Nunc* gradum faciamus ad explicanda specialia subditorum civitatis officia.

§ 118.

Specialia officia diversa sunt, sic aliud est officium Belliducis, aliud Ministri, aliud Judicis, aliud

ud Advocati, quia ipsa munera, ex quorum natura, quid cuilibet officiali incumbat, erui debet, sunt diversa. Haec tamen duo praecepta omnibus conveniunt: 1. Ut nemo aliquod munus ambiat malis artibus. v. g. pecunia, vel adulatione, quia hoc plerumque manifestum est signum inhabilitatis, vel certe talis aliud aliquid, quam ipsum officium quaerit. 2. Ut nemo implendi muneris rationem desumat ex donis, aut xeniolis, quae ipsi promittuntur, vel tribuuntur, quia secus male administrabit illud, cessante enim ratione cessabit rationatum.

§ 119.

Ecclesiae ministri debent I. Vera de cultu summi Numinis dogmata exponere, quia in his solida pietas consistit, cujus illi ex officio doctores sunt. II. Conspicuum se populo vitae exemplar praebere, quia verba movent, sed exempla trahunt. III. Abstinere a negotiis profanis, quia multum abstrahunt a cura spiritualium. IV. Vitare fastum, et avaritiam, quia haec maxime incurrunt in oculos populi, cui malum dant exemplum. V. Non persequi gladio aliter sentientes, quia nec arma, nec persecutiones sunt apta media propagandi religionem.

§ 120.

Ministri status, et consiliarii debent I. Nosse rempublicam, ejus initia, progressus, jura, et vires, quia his conformiter debent imperanti

ti

ti dare consilia. II. Non proprias, aut suorum opes, vel potentiam, aut dignitatem spectare; quia eorum consilia ad salutem publicam debent tendere. III. Ab assentatione, insolentia, et factionibus esse alieni, quia secus non possunt solam salutem publicam spectare. IV. Quae sciunt civitati esse utilia, modeste, et sine partium studio exponere, quia sic probabunt se et ab adulatione, et ab insolentia, et a factionibus omnino esse alienos. V. Denique deliberationibus adesse ibique consilia suo modo depromere, quia optima licet consilia, si tamen debito tempore, loco, et modo non proponantur, nihil proficiunt.

§ 121.

Belliduces ii tantum esse possunt, qui prudentia, fortitudine, et ingenii celeritate excellunt, ut norint in arena capere consilium, quia secus civitatem una cum militibus perdent, officium autem eorum est: I. Exactam servare castrorum disciplinam, quia haec est praecipuum medium et milites in officio continendi, et hostem debellandi. II. Militem diligenter, et tempestive ad ministerium bellicum, et molestias perferendas habilem reddere, quia sine forti, et exercitato milite hostis non vincitur. III. Non exponere periculis militem sine necessitate, quia inutiliter debilitabitur exercitus. IV. Non intervertere annonam, aut stipendia, quia sine his non conservatur miles. Atque V. Probe intelligere, fortiorem esse rempublicam, quae prae-

cla-

claros Duces, quam que numerosum alit exercitum, quia persaepe victoriam non tam vis, quam prudentia militaris, qua Duces excellere debent, procurat.

§ 122.

Milites autem ipsi debent I. Juramenti, quo se ad militandum obstrinxerunt, meminisse, quia hoc iis obligationem in memoriam revocabit. II. Suis praefectis obedire, quia secus nullus erit ordo, nulla disciplina. III. Nec vexare, nec expilare rusticos, quia hi non sunt hostes, et alioquin habent sua stipendia milites. IV. Strenue vacare exercitationibus, et corpus laboribus consolidare, quia inexercitatus, et effeminatus miles nullus est miles. Hinc debent vitare potum, et libidines, quia ista frangunt vires. V. Non dimicare secum ipsis, sed nec cum hoste temere, seu si nec tempus, nec postulet necessitas, quia secus se inhabiles reddent ad bellum. VI. Scire debent pulchrius esse pro patria mori, quam fugere, quia moriendo implent officium, non item fugiendo.

§ 123.

Judicium officia sunt: I. Rite cognoscere, an facta sint idonee probata, quia aliter non possunt veram pronunciare sententiam. II. Secundum leges judicare, quia hac solae ostendunt ex cujus parte stet veritas, neque enim potestas eorum arbitraria est. III. In adeundo se faciles praebere, et

ut-

utramque partem patienter audire, quia sic cognoscent, an facta sint idonee probata. IV. Nec excandescere contra malos, nec illacrymari precibus calamitosorum, quia hi affectus multum impediunt rectam factorum cognitionem. V. Non sinere se donis corrumpi; sed justitiam inopi aeque, ac potenti administrare, quia leges, secundum quas judicare debent, omnibus aequaliter sunt scriptae. VI. Lites potius diminuere, quam protelare, quia secus accumulantur expensae litis, et actor re sua diutius carere cogitur, quod injustum est.

§. 124.

Praefecti aerario, seu officiales, qui sumtus ad reipublicae defensionem necessarios colligunt, et in usus publicos expendunt, debent I. Exactas inire rationes inter reditus, et expensas, quia alias vel plus exigent a civibus, quam deposcat finis civitatis, et tunc injuste eos gravabunt, imminuentque capacitatem contribuendi, vel minus, et tunc civitas detrimentum patietur. II. In exactione redituum aequam proportionem adhibere, quia reditus admensurare debent unius cujusque facultatibus, III. Excogitare lenissimum, et minime sumtuosum percipiendi reditus modum, quia sic nec acerbum, nec immoderatum erit tributum. IV. Praecavere inutiles expensas, quia optimum vectigal est tempestiva parsimonia. V. Invigilare, ne inferiores quaestores pecuniam publicam in suos convertant usus, quia secus vel deberent cives de

no-

novo exhauriri, vel civitas careret sumtibus necessariis.

§ 125.

Legatis incumbit I. Noscere rempublicam, in qua versantur, quia tatis notitia multum confert ad tractanda suae gentis negotia. II. Inquirere, in ingenium, et indolem hominum, quibuscum agere debent, iisque, quantum par est, se accomodare, quia sic eos facilius in sua vota pertrahent. III. Celare comissa sibi negotia, quia immatura talium manifestatio saepe jam invertit optatum exitum. IV. Non recedere a formula sibi praescripta, quia imperanti, cujus legati sunt, parere obligantur. V. Rumores quoslibet nec spernere, nec studiose sectari, quia saepe vera continent, saepe falsi sunt. VI. Gentis suae gloriam virtutibus tam intellectualibus quam moralibus tueri, quia hoc plurimum conducet, ut suae civitatis negotia felicius terminent.

§ 126.

Doctores denique scientiarum obligantur I. Indefessam habere diligentiam, quia sine ea perfunctorie tantum docebunt. II. Morum honestate praestare, quia eorum exemplum multum ponderis habet apud juventutem, cum qua ferme quotidie conveniunt. III. Doctrinas proponendas summa attentione examinare, inque earum fontes, et causas investigare, quia secus vel inanes, vel falsas, vel perniciosas tradent sententias. IV. Ea potissimum

mum proponere, quae usum praestant humanae vitae, quia iste est finis publicarum scholarum, ut utiles patriae cives efformentur. V. Omnia, quae docent, solidis munire rationibus, quia hoc est docere, sic enim auditorum intellectus convincitur. Hinc VI. Non debent jurgia, vanamque ostentationem quaerere, sed veritatem; quia solida scientia in demonstrata conclusionum veritate conquiescit.

§ 127.

Interea inter haec officia certi dantur limites ad evitandam confusionem: 1. Ut nemo officialium in alterius munus involet, quia hoc esset arrogare sibi potestatem ab imperante non concessam. 2. Ut nemo suum officium alteri committat, nisi id expresse, vel tacite fuerit permissum, quia talis usurparet jus munera publica conferendi. *Hinc* nullus judex ultra limites suos judicare potest, quia secus in alterius munus involaret, quod non licet. Inde enatae sunt exceptiones *fori incompetentis*, quod tripliciter tale est: vel ex *re*, si res litigiosae non subsint jurisdictioni judicis, vel ex *loco*, si in illo loco judex non habeat jurisdictionem, vel ex *persona*, si judici in aliquam personam non competat potestas judiciaria, ideo etiam sunt tot jurisdictionum species, videlicet: *forum ecclesiasticum*, *maritimum*, *civile*, *criminale*, *academicum*, *cambiale* etc. quae omnia propriis reguntur legibus.

§ 128.

§ 128.

Ad quaestionem, an judex secundum privatam suam scientiam judicare, an sola probata, et allegata sequi debeat, *praemisso eo* 1. quod publica judicis scientia sit illa, quam ex allegatis, et probatis nanciscitur, privata vero, quam aliunde haurit. 2. quod condemnare reum sit, eundem in petitione actoris convincere; absolvere autem, a praetensione actoris reum immunem declarare. 3. quod causa civilis sit, dum actor jus suum, vel mulctam pecuniariam, criminalis vero, dum poenam mortis, vel mutilationis membrorum contra reum deposcit: *Respondeo*: tres esse diversos casus: I. Judex neque in causa civili, neque criminali potest eum *condemnare*, qui non est probatus reus, licet privata scientia sciat illum esse reum, quia turbaretur ordo judiciorum, via aperiretur fraudibus in detrimentum publici boni. Sed nec potest eum *absolvere*, quia secus in causa civili actor pateretur damnum, in criminali delinquens maneret impunitus; *Ergo* debet officium deponere, et testem agere, hoc enim est inter non condemnare, et non absolvere medium. Quod si officium deponere non possit, debet reum absolvere, quia scientia publica praeferenda est privatae.

Propterea autem judex non mentitur. Quia ejus publica locutio est conformis scientiae publicae, Duplicem enim judex sustinet personam, ideo etiam duplicem potest habere scientiam.

§ 129.

§ 129.

II. Judex in causa civili non potest illum *absolvere*, qui probatur esse reus, v. g. teneri 100 florenis, licet privata scientia sciat eum non esse debitorem, quia turbaretur ordo judiciorum, qui in eo consistit, ut sententia sit allegatis, et probatis conformis; sed nec *condemnare*, quia condemnato faceret injuriam, *Ergo* debet officium deponere, et testem agere, quod si facere non possit, debet ex publica scientia eundem condemnare, quia bonum publicum praeferendum est privato. III. Judex in causa criminali non potest eum *condemnare*, qui probatur reus, si eum privata scientia sciat esse innocentem, quia nulla civitas, ergo nec judex, qui suam potestatem a civitate accipit, habet jus innocentem puniendi, sed nec *absolvere*, quia publica scientia praecedit privatam. *Ergo* officium deponere, et testem debet agere; quod si non posset, debet omnes probationes minutatim revidere, testes separatim examinare, aut extrema quaevis pati, quam sanguine innocentis se polluere, quia exigit quidem salus publica ut judiciorum ordo salvus sit, verum ad conservandos, non autem occidendos innocentes.

In causa quidem civili judex ultimo debet sequi allegata, et probata, non tamen in criminali. Quia civitas in bona civium habet jus eminens, quod ad vitam, vel membra innocentis auferenda non pertingit. *Potest etiam civitas in conflictu civem innocentem* *ho-*

hosti dedere, Affirmative, sed hoc est tantum periculo mortis exponere, non autem occidere.

§ 130.

Appellare est sententiam a judicibus inferioribus latam examini judicum superiorum, vel ipsius imperantis substernere. *Jus appellandi competit subditis*, quia judices sive ex malitia sive ex ignorantia legis, vel facti possunt erroneam dictare sententiam, ergo vel actorem vel reum laedere, atqui quilibet subditus habet jus laesiones a se avertendi, ergo appellandi, per appellationem enim potest sententia reformari. *Verum appellatio non est promiscue concedenda*, quia secus ea subditi ad protrahendas lites abutentur. Hinc. 1. debet determinari *quantitas*, ob quam liceat appellare, debet ratio haberi *personae, modi, et temporis*, quia sine his promiscua erit appellatio. 2. potest quibusdam collegiis *privilegium de non appellando ulterius* tribui, quia sic citius erit finis litium. Hoc tamen omnem supplicationem protractae, aut denegatae justitiae non excludit, quia secus cives privarentur jure laesionem declinandi. 3. Ut, si lis in supremo tribunali decisa sit, de ea amplius disceptare non sit integrum, quia aliter nunquam finientur lites. Potest quidem etiam hic pars victa instituere *accusationem syndicatus*, hoc est contra judicum fraudes, coruptelas, vel manifestam ignorantiam conqueri, quia nunquam potest laesis auxilium denegari: Sed si in probatione deficiat, graviter

viter puniri debet, quia totius civitatis interest supremi tribunalis auctoritatem sartam, tectamque conservari.

Caput XI.

De forma imperii, et quidem simplici.

§ 131.

Forma imperii est determinatio personae, cui imperium civile inhaereat; alia est *simplex, pura, regularis*, quando imperium civile uni personae physicae, vel morali competit, alia *mixta, composita, irregularis*, quando imperium civile, duae, vel tres personae simul tenent. Formam imperii ab initio civitatis potest populus determinare, quia tunc illud habet in τω suo, de quo libera est dispositio. Atque hic determinatus regiminis civilis habendi modus vocatur *lex*, vel *pactum fundamentale*, quia fit conventione inter populum, et imperantem, qua in hunc imperium transfertur, jam autem talis conventio est pactum, et lex fundamentalis. Formae imperii simplices sunt tres: Democratia, Aristocratia, et Monarchia, quia in his penes unam tantum personam est majestas.

§ 132.

Democratia, vel regimen populare, est forma imperii simplex, in qua imperium ci ile habent omnes cives simul sumti. Hinc I. In democratia singuli cives habent particulam majestatis, quia majestas est penes universos, quos singuli simul sumti constituunt; *Majestas* tamen in nullo singillatim reperitur, quia inhaeret universis; ideo singuli sunt *subditi*, quia nisi singuli forent subditi, cum imperium sit penes universos, tunc imperium esset absque subditis: ideo etiam singuli possunt criminis laesae majestatis, et rebellionis rei fieri, quia haec proprie tantum subditi committunt,

Frustra objicis singulos non esse subditos, quod non sint distincti ab universis. Quia singuli quidem simul sumti non distingvuntur ab universis, sed singuli singillative considerati, nam simul sumti faciunt totum, singillative sumti partem, pars autem a toto distincta est. *Neque contradictio evenit, quasi iidem essent imperantes; et subditi.* Quia collectim considerati imperant, seorsim sumti parent, unde non sibi ipsis, sed universitati subjecti sunt.

§ 133.

II. Democratia magis accedit ad anarchiam, et statum naturalem, quam ceterae formae, quia cum imperium sit penes universos, omnes cives aequali jure utuntur sine praerogativa, quae naturalis aequalitas in aliis formis non est; *Hac de causa* cives democratici se liberos republicanos vocant,

quia

quia omnia sua negotia communi deliberatione, et communibus votis concludunt. III. Quilibet civis gaudet jure *comitiorum*, quae sunt conventus populi ad negotia publica ordinanda institutus, seu quilibet potest comitiis interesse, et votum ferre, quia imperium est penes universos, qui nonnisi simul in aliquo loco collecti illud exercere possunt. IV. Pro comitiis celebrandis debet locus, tempus, et modus designari, deinde, quibusdam vel in perpetuum, vel ad aliquod saltem tempus dari jus *convocandi* populum, quaestionesque negotia publica tangentes *proponendi*, quia secus perpetuae erunt confusiones. V. In democratia debent quotidiana negotia, et conclusorum in comitiis factorum executiones certis personis committi, quia totus populus non potest semper congregatus manere, neque omni momento convenire.

Non est tamen metus, ut propterea democratia abeat in aristocratiam. Quia hi officiales respectu populi manent subditi, non enim nomine suo exercent jura majestatica, sed nomine populi, qui eorum acta irritare, eosque punire potest.

§ 134.

VI. Species democratiae variant, pro diversa suffragia ferendi ratione, quia pro ratione hujus diversitatis diverso etiam modo imperium civile exercetur. Sunt vero suffragia quoad modum ferendi quatruplicia: 1. *virilia*, si pendeant a numero capitum, seu personarum. 2. *curiata*, si certus

ter-

territorii districtus unum habeat votum. 3. *centuriata*, si vota pendeant a quantitate bonorum seu mobilium, seu immobilium, 4. *seniora*, si a certae aetatis personis ferantur. VII. In democratia naturaliter major civium pars imperium civile obtinet, quia imperium exercetur per suffragia, sed naturale est, ut inter aequales majora vota concludant, *nisi* alius concludendi modus placuisset, v. g. ut duae tertiae suffragiorum ad decisionem debeant adesse, quia pacta servanda sunt. *Hinc decreta comitiorum sunt leges civiles*, quia sunt voluntas imperantis civilis, statuuntur enim communi voluntate eorum, penes quos est imperium.

Nulla hic est contradictio: Quia in democratia imperium quoad jus est penes universos, quoad exercitium autem penes majorem civium partem. *Neque oritur propterea aristocratia*. Quia in aristocratia imperium et quoad jus; et quoad exercitium est penes minorem civium partem ita, ut reliqui nec jus suffragii habeant, in democratia autem quilibet civis gaudet jure comitiorum.

§ 135.

VIII. Democratia potest degenerare vel *in ochlocratiam*, quae est status, ubi omnia a multitudine tumultuarie aguntur, vel in *oligarchiam* seu statum, quando pauci dominatum ad se trahunt: Hinc 1. servandus est bonus ordo, quia sine eo multitudo, utpote ex hominibus vario ingenio, atque indole praeditis composita facillime perturbationem parit, nasciturque ochlocratia. 2. solli-

cite custodienda aequalitas, quia secus facile pauci quidam dominatum usurpabunt, et erit oligarchia. 3. fugienda est ambitio, quia tollit aequalitatem. 4. vigere debet apud cives excellentior quidam patriae amor, quia sine hoc vel omnia tumultuarie agentur, vel multitudo corrupta a potentibus serviet paucioribus. 5, curandum est, ut suffragia sint potius centuriata, vel curiata, quam virilia, quia minus est periculum, ut pauciores, iique bonorum possessores negotia tumultuarie gerant. 6. denique non admittendum, ut duces, aut judices sint perpetui, quia talibus facilius est imperium sensim sibi arrogare.

§ 136.

Aristocratia est forma imperii simplex, in qua imperium civile est penes minorem quamdam civium partem. Isti pauci vocantur, *Optimates, Proceres, Ordines, aut Primores.* Hinc I. In aristocratia imperium est penes collegium optimatum, quia imperium est penes minorem civium partem, qui optimates dicuntur, et simul sumti faciunt unum collegium. II. Singuli optimates sunt subditi, quia imperium est penes collegium optimatum; adeoque separatim nihil possunt constituere, sed collectim tantum, quia non subditorum, sed imperantis est gubernare civitatem. III. Aristae obligantur de loco, tempore, et modo habendi *senatum*, seu comitia inter se convenire, atque jus convocandi, et quaestiones ad usum jurium majesta-

majestaticorum spectantes proponendi uni largiri, quia alias nascentur confusiones. IV. In aristocratia negotia finem civitatis concernentia votis majoribus concluduntur, quia inter aequales major numerus votorum minori praeferri debet, secus negotia exitum non haberent.

§ 137.

V. Senatus decreta sunt leges civiles, quia feruntur communi voluntate eorum, qui habent imperium. VI. In legibus fundamentalibus definiri debet, quot numero, et quibus qualitatibus praeditos oporteat esse optimates, item an ad tempus vel ad dies vitae, an ex certa familia, aut ex provinciis, an soli praediorum possessores constituendi, quia ista determinare pertinet ad constitutionem formae imperii aristocraticae, ergo ad leges fundamentales. *Quod si* hac de re nihil constituit populus, poterit senatus, quia populus in senatum suum jus, nempe imperium transtulit. VII. In aristocratia potest uni aut pluribus salva aequalitate certa praerogativa concedi, v. g. jus convocandi senatum, quia propterea reliqui a regimine non excluduntur, et haec paerogativa dependet ab arbitrio simul sumtorum: *Interea* cavendum, ne tunc vel unus imperium ad se trahat, vel plures dominatum obtineant, quia in *primo* casu aristocratia degeneraret in monarchiam, in *secundo* in oligarchiam.

 § 138.

§ 138.

VIII. In aristocratia debet a Proceribus observari virtus, amor patriae, et aequalitas civilis, quia secus vel unus, vel pauci usurpabunt imperium. IX. Optimates repraesentant totum populum, quia ab eo habent imperium civile; Senatus vero comitia, quia sicut in comitiis jura majestatica, ita etiam in senatu exercentur. Hinc aristocratia, et democratia quibusdam communi *Reipublicae* nomine notantur, quia utrobique negotia civilia communibus administrantur suffragiis.

§ 139.

Diarchia est status, in quo duae simul personae civile gerunt imperium: Hujus aliqui tres faciunt species: *Primam*, quando duae personae in solidum imperant, quam vocant monarchiam, sed male, quia una, et indivisibilis est in qualibet civitate majestas, ergo duobus in solidum competere non potest; *Deinde*, ea est natura monarchiae, ut in ea una tantum singularis persona possit habere imperium. *Secundam*, quando duae personae ita imperant, ut quaelibet certam civitatis regat partem, et hanc dicunt aristocratiam, verum etiam non bene, quia si dividantur regiones, non jam una existit, sed duae civitates monarchicae. *Tertiam*, quando duae personae communi consilio gubernant civitatem, referuntque ad aristocratiam; Atque hi soli recte ratiocinantur, quia tunc

nec

nec unus, nec major civium pars imperat, qui status aristocratia est.

Non dicas Aristocrátiam esse collegium, ad quod tres ad minimum requiruntur personae. Equidem est collegium aristocratia, id est societas, sed societatem etiam duo faciunt. *Neque putes ideo quatuor esse distinctas formas imperii simplices.* Quia dyarchia est species aristocratiae.

§ 140.

Monarchia est forma imperii simplex, in qua civile imperium una singularis tenet persona. Haec vocatur *Monarcha*, vel *Rex*, civitas autem, in qua talis forma imperii viget, *Monarchia*, aut *Regnum.* Ex natura monarchiae sequentia deducuntur. I. In monarchia simplici unus tantum potest, quantum potuissent universi in ipsa imperii origine, quia illud ipsum habet imperium, quod universi ab initio civitatis. II. Jura regalia monarchae sunt jura majestatica, quia jura regalia sunt, quae in Rege, qua tali, reperiuntur, illa autem sunt majestatica, Rex enim qua talis habet majestatem. III. Regi subsunt omnes, et singuli subditi civitatis, quia ille solus habet imperium civile. *Hinc* eidem subsunt etiam personae de illius familia, et quidem in actionibus, quae cum fine civitatis nexum habent, qua Regi, quia in talibus ut cives considerantur; in aliis autem subsunt eidem qua Patrifamilias, quia vivunt in societate domestica, cujus ille caput est.

§ 141.

IV. Actiones regiae ab actionibus Regis secernendae sunt: *Illae* pertinent ad exercitium imperii civilis, v. g. leges ferre; *Istae* autem sunt indifferentes ad finem civitatis, v. g. venari. Quia in actionibus regiis est persona publica, in actionibus vero Regis est persona privata vivens in statu naturali. V. Monarcha jura sua ad felicitatem populi externam dirigere tenetur, quia jura majestatica mensuram accipiunt ex fine civitatis, in quo felicitas populi sita est. VI. Monarcha regularirer non potest rempublicam alienare, quia hoc jus sub imperio non continetur, imperium enim est jus gubernandi civitatem, sed is civitatem non gubernat, qui eandem alienat.

§ 142.

Imperans civilis Bona fisci, vel aerarii potest tunc alienare, quando alienatio medium est necessarium ad securitatem publicam, quia imperans habet jus ad omnia media necessaria ad finem civitatis, secus autem non, quia jura majestatica conformiter tantum fini civitatis exerceri possunt; Hinc successor bona ab antecessore absque necessitate alienata vindicare poterit, quia alienatio fuit sine jure facta, ergo nulla, talis autem revocari potest; *si tamen* simul in privatum principis patrimonium succedat, eatenus tenebitur evictionem praestare, quia omnis alienans tenetur praestare evictionem, heres autem succedit in omnes reales obligationes

de-

defuncti, sed non ultra vires hereditarias. *Ceterum hac in re observandum* 1. Ad evitandas disputationes, quae saepe oriri solent, an adfuerit alienandi necessitas, tutissimum est *ordinum*, et *statuum*, qui totum populum repraesentant, consensum adhibere, quia cum tali consensu etiam sine necesitate facta alienatio est valida, populus enim est directus dominus bonorum fisci, et aerarii, qui de illis pro arbitrio potest disponere. 2. Si vi pacti fundamentalis necessarius sit iste consensus ordinum ad omnem alienationem, tunc semper adhiberi debet, quia pacta servanda sunt.

§ 143.

At partem populi invitam etiam in summa necessitate alienare non potest, seu hosti in ditionem dare, potest tamen deserere: *non alienare ideo,* quia alienatio reipublicae regulariter sub imperio non continetur. Et, qui societatem civilem ingressi sunt, non voluerunt cuicunque imperanti parere, aut cum quibuscunque sociis vivere, sed determinatas sociorum qualitates et specialem imperantis personam sibi elegerunt: *Deserere autem propterea*, quia ejus defensio est physice, et moraliter imposibilis: *physice*, quia hostis vires sunt majores, secus enim non esset summa necessitas, *moraliter*, quia majus malum esset partem populi defendere, et totam civitatem subjugari, quam illam deserere, non licet autem majus malum eligere.

Cocce-

Coccejus contradicit 1. *quod deserere, et alienare partem populi sit idem,* 2. *quod sicut in corpore physico ad salvandum totum debeat pars abscindi, ita etiam in corpore politico.* 3. *quod innumera extent exempla, in quibus alienata quadam provincia pax redimi debuit.* Ad *primum* dico, haec duo non esse idem, nam in alienatione pars populi subjicitur victori, non item si deseratur, civitas enim tantum juri suo in illam renunciat, quae suam libertatem tueri potest, uti olim fecerunt Siculi in Italia. *Conf. Muratori Annal. d' Ital ad an.* 1296. Ad *secundum*: paritas haec probat tantum licitum esse deserere partem populi, per id enim salvatur reliqua civitas. Ad *tertium*, exempla non faciunt jus.

§ 144.

Dantur tamen aliquando imperia civilia, quae cum facultate alienandi sunt connexa, *si nimirum vel bello justo occupata sint,* quia jus belli indefinitum est, *vel ipse populus hoc jus in imperantem transtulerit,* quia populus ab origine imperium habuit in τῳ suo, de quo poterat pro arbitrio disponere. Hinc monarchia alia est *patrimonialis*, seu *alienabilis*, quam imperans sive inter vivos, sive mortis causa potest in alium transferre, alia *non patrimonialis,* quae nunquam potest alienari.

Nemo vero objiciat, cives homines esse liberos, et ideo alienationis incapaces. Quia non personae alienantur, sed jus gubernandi civitatem. *Neque in hac divisione monarchiae contineri circulum vitiosum.* Quia est quidem ideo regnum patrimoniale, quia Rex habet

bet facultatem alienandi, sed non ideo habet facultatem alienandi, quia est regnum patrimoniale, nam regnum patrimoniale, et alienabile idem est, quod vel jure belli, vel ex ultronea populi voluntate obtinetur. *Minime vero: Regnum alienabile non differe a despotico.* Quia despota non tantum habet imperium in personas, sed etiam dominium in omnes res, et operas subditorum, adeoque eos alienat tanquam servos, Monarcha autem alienat tantum facultatem cives moderandi.

§ 145.

Monarchae jura ex titulo Regis, Imperatoris, Caesaris non rite cognoscuntur, quia multi sunt, qui sine his titulis imperium civile tenent, ita etiam Russiae Imperatores usque ad Petrum I. Duces vocabantur, siculi contra, qui regio decorantur titulo, veri monarchae non sunt, sic apud Spartanos duo Reges olim quomodocunque demum ab Ephoris tamen judicabantur: Imperans quidem pro suo territorio potest titulum, quem vult assumere, quia in actionibus suis est independens ab arbitrio alterius, atque subditi talem agnoscere tenentur, quia assumptio tituli intuitu subditorum pertinet ad jura imperii, quae subjecti perfecte agnoscere obligantur. *An autem* ad titulum imperantis recognoscendum exteri possint cogi, pertinet ad jus Gentium.

§ 146.

Sed nec dependet summa potestas a coronatione, ab insignibus, praestatione homagii, seu

ex-

externe declarata subjectione, aliisque inaugurationum ritibus, quia naturaliter sunt signa arbitraria, sic Dux venetus coronatur, et non est monarcha, Turcarum Imperator non coronatur, et habet summam potestatem: *Nisi sit aliud legibus fundamentalibus cautum*, quia in his potuit populus de imperio pro arbitrio disponere. Ita etiam non imminuitur potestas monarchae, si eo fine convocet comitia, ut subditorum suorum consilia intelligat, vel facilius sua postulata iis declaret, quia talia comitia unice ab arbitrio imperantis dependent. *Nec denique* ejus majestati officit, si tale collegium constituat, ut acta sua non sint valida, nisi ab eo confirmentur, quia acta, quae ab hoc collegio rescinduntur, ipsius Regis imperio pro nullis habentur.

§ 147.

Monarcha temporarius, qui ad certos annos, vel menses tenet imperium, uti ante legem Valeriam romanus Dictator, habet summam potestatem, quia imperium non dependet a modo illud habendi, sed transfertur pro arbitrio populi in legibus fundamentalibus. Hinc etiam, qui precario habet regnum, est monarcha summus, quia est monarcha temporarius. Et diversae sunt hae duae quaestiones: quid est res, et quomodo illa possidetur. *Equidem talis monarcha potest omni momento a populo revocari.* Sed potest etiam diutius imperare, ergo res concernit tantum modum habendi

im-

imperium: *Hoc autem de illo dici non potest, quod sit tvntum nudus mandantarius populi.* Quia, quam diu non revocatur, jura majestatica nomine proprio exercet, sicut alter monarcha temporarius. Nonne qui precario habet librum, ita illo potest uti, quemadmodum is, qui habet ad determinatum tempus. *Attamen* Tutor regius non habet majestatem, quia illam habet pupillus Rex, et duae in una civitate majestates non dantur. *Deinde,* tutor finita administratione ad dandam gestorum rationem compelli potest, quod majestatis independentiae adversatur.

Dices forte tutorem Regium omnia jura majestatica exercere. Verum est, sed nomine alieno; subinde impedito Rege supremum ejus consilium jura imperii administrat, et non habet majestatem, jus enim cum juris exercitio confundi non debet. *Sed tutor nonnisi finita administratione debet rationes reddere.* Ita, at non ob independentiam, sed ob defectum aetatis pupilli: qui si deinde exigat, tenetur tutor de toto administrationis tempore eas dare.

§ 148.

Monarchomachorum sententia est, quod in monarchia imperans habeat tantum *personalem majestatem*, seu summam dignitatem, et populus habeat *majestatem realem*, hoc est civile imperium. Sed falsa est, quia monarcha et personalem, et realem habet majestatem, monarchia enim est ea forma imperii, in qua una singularis persona tenet imperium civile; *Deinde:* In hac sen-

ten-

tentia Monarchia esset democratia, praeter enim titulum uni civi tributum omnia jura majestatica penes populum manerent, quod absurdum est. *Denique* In hac sententia populo fit inferior ille, qui eidem imperat, quod contradictorium est.

Objicitur 1. *Receptus usus loquendi est majestatem esse penes populum :* Scito *populum* in duplici sensu sumi, pro familiarum multitudine, quae unam civitatem constituit, et penes talem populum esse majestatem certum est, nulla enim civitas sine imperio cogitari potest, deinde pro multitudine subditorum, quae ab imperante distincta est, et penes talem populum esse majestatem falsum est, nam subditi non habent imperium. 2. *Russovius putat hominum multitudinem unius imperio se subjicientem sana mente carere, consequenter nec pacisci posse.* Enim vero, qui in navi sunt, et uni navarcho parent, non sunt stulti, nec exercitus, qui ab uno Duce regitur, neque illi, qui imperio herili se submittunt, ergo nec Patresfamilias, qui ad evitandum majus malum sibi monarcham elegerunt, nam facere discrimen inter majus, et minus malum, seque ad minus malum prae majori amplectendum determinare illi tantum possunt, qui ratione utuntur. 3. *Insanum est multitudinem a regimine excludere.* Nequaquam, nam in aristocratia minor pars majorem excludit, in democratia quidem minor tantum pars amovetur, sed quot sunt feminae, homines juniores, aliique multi, qui ad deliberationes non vocantur. 4. *Sed nullae sunt causae, cur foret monarchia praeferenda.* Negatur: v. g. summum discrimen a victoris potentia, ne populus penitus deleatur, exemplum vicinorum populorum in democratia infeliciter, feliciter autem sub Regibus viventium, hac de

cau-

causa Hebraei Regem postularunt; *Vel* metus belli civilis inter Proceres, ideo quondam *Augusto* summa potestas delata fuit. 5. *Monarcha est tantum mandatarius populi, et minister.* Minime, nam proprio nomine gubernat civitatem, populus enim suum jus in illum transtulit, illique se subjecit, nec tenetur alteri, quam Deo actionum suarum rationem reddere. 6. *Constituens major est constituto.* Concedo, si constituens constituto se non subjiciat, secus nego, alias servus pactitius suo domino jure imperaret. 7. *Licet Rex alicui committat jurium majestaticorum exercitium, penes illum tamen manet majestas, ergo etiam penes populum.* Dispar est ratio, Rex suo officiali se non subjicit, uti facit populus, secus enim non conderet monarchiam. 8. *Monarcha constituitur in favorem populi, quia saepe aliter vel optimatum, vel multitudinis furor non poterat coërceri.* Verissimum est, sed etiam tutor Regius in favorem pupilli nominatur, propterea tamen non habet majestatem. 9. *Ex sacris litteris constat populum fuisse aliquando punitum ob peccata Regum, quod populus suos Reges in officio non continuerit.* Falsum est, Respublica Judaeorum fuit Theocratica, et justissimus Deus neminem punit, nisi qui se malefactorum reddit participem, Atque omnia mala physica poenae dici haud possunt. 10. *Majestas est a Deo, ergo in monarcham transferri nunquam potuit.* Retorqueo argumentum; Majestas est a Deo, ergo, a monarcha auferri nunquam potuit, Nonne ut has duas sibi oppositas consequentias conciliemus, debemus antecedens ita distingvere, ut majestas sit a Deo remote non vero proxime. 11. *Sed denique non potest praesumi populum tantam uni homini concesisse potestatem.* Sed nulla opus est praesumtione ibi, ubi adest veritas Regem proprie talem esse constitutum.

§ 149.

§ 149.

Machiavellistarum secta originem trahit a Machiavello florentino, qui probabilius, ut principatum florentinis redderet exosum, docuit subditos a Principe laedi non posse, quod nulla babeant jura, quia omnia in suum Regem transtulerunt: *Sed doctrina haec falsa est*, quia subditi habent et jura connata, et jura socialia, jura connata videlicet jus se conservandi, jus perficiendi, quibus nec renunciari potest; jura autem socialia, quia singuli universis, et universi singulis se obstrinxerunt ad mutuam felicitatem promovendam; *Deinde* ex simplici pacto subjectionis non aliam acquirit imperans potestatem, quam quae necessaria est ad finem civitatis obtinendum, si ergo majorem sibi arroget, laedit subditos, horum enim libertatem civilem sine jure restringit, quod laedere est.

§ 150.

Propterea tamen cives ab imperante laesi non habent jus eidem *resistendi*, id est quietem publicam mediis violentis perturbandi, et quidem nec singuli, nec magistratus, nec totus populus. *Non singuli*, quia isti tenentur, bonum publicum praeferre bono privato, *Deinde* babent media leniora, uti sunt litterae supplices, aut tandem fuga, non licet autem adhibere duriora, quamdiu leniora sufficiunt. *Denique* pro imperante ob jus connatum bonae existimationis stat praesumtio, etiamsi forte aliquid contra jus subditi faciat, facere ex ignoran-

tia

tia invincibili potius, quam dolo, laesionemque causa cognita tollere velle juxta illud: *A Principe male informato datur appellatio ad eundem melius informandum.* Non magistratus, quia hi intuitu imperantis subditi sunt, privataeque personae, quae potius publicum, quam privatum bonum quaerere debent, *Deinde* possunt adhibere media leniora, uti sunt repraesentationes, *Denique* omnis, quam habent potestatem, a monarchae nutu dependet, qui porro sibi resistendi tribuisse facultatem male praesumeretur, *Non demum tota multitudo*, quia haec etiam monarcha est inferior, eique obedire tenetur, atque promisit, se nunquam velle securitatem publicam turbare.

Sed licitum est ex jure connato laedenti resistere. Ita, si ex resistentia majus malum non oriatur, eadem enim natura, quae jura connata tribuit, praecipit, ut in conflictu majus malum fugiamus, jam autem ex resistentia imperanti facta majus malum consequitur, quam si laesionem patienter feramus, nam ex resistentia nascitur bellum intestinum, perit securitas, quo malo majus cives habere non possunt. *Sed populus se imperanti sub ea conditione subjecit, si recte imperaverit.* Nequaquam, hoc enim idem foret, ac obligationem ad nutum obligati dissolvendam, adeoque inanem celebrare, *Deinde* judicium de imperantis actionibus, et de eo, quid sit e re civitatis, esset penes populum; quod naturae Monarchiae adversatur, *Denique* talis conditio infinitis turbis civitatem repleret, saepe enim plebs mala putat, quae sunt saluberrima. *Ad minimum non potuit populus ad id se obligare, ut male imperanti obediat.* Negatur, quia certa status naturalis pericula licite cum

in-

incertitudine, an malus sit futurus Rex, commutamus; In statu naturali ubi nullus est Rex, bona nostra, immo ipsa vita quovis momento latronum injuriis exposita est, sub malo autem Rege ingens adhuc multitudo servatur incolumis, neque incommoda imminent continua, sed meliorum interventu compensantur, ut adeo satius fuerit sub malo, quam sub nullo Rege vivere.

§ 151.

Non licet etiam resistere imperanti, si leges violet fundamentales, quia cives ab imperante laesi non habent jus resistendi, quia majus malum oritur ex resistentia, quam ex violatione legum fundamentalium, quia nemo potest decisive affirmare, violatas esse leges fundamentales ab imperante, si ille neget, aut, si ostendat id factum esse jure eminenti, nullus enim est judex imperantis, quia denique adsunt media leniora; repraesentationes, denegatio obedientiae, utpote in rebus sine jure praeceptis.

At inquies, In talibus negotiis cives imperanti se non subjecerunt, et statum aequalitatis tuentur. Ita est, verum nec aequalis contra aequalem ita se tueri potest, ut majus malum eligat, et media leniora praetereat. *Sed si ita, leges fundamentales sunt inutiles.* Non, pacta enim imperantem obligant in conscientia, quae si non observet, reddet rationem summo Numini: sicut, licet ad officia imperfecta nemo possit cogi physice, eorum tamen obligatio non est inanis. *Hac ratione posset imperans talia etiam praecipere, quae, legi naturali, aut divinae certo adversantur.* Absit, Quod si tamen faceret, obediendum est

magis

magis Deo, quam homini, at nec tunc resistere licet, sed patientia utendum, non ex jure imperantis, sed propter obligationem singulorum erga se invicem; Aliud enim est resistere, aliud non obedire, qui non adstringitur ad obedientiam, ad patientiam tamen obligatur. *Sed in sacris litteris I. Reg. 8. jus Regis esse dicitur: agros vestros, et vineas, et oliveta optima tollere, et dare servis suis etc.* Pro foro externo, quatenus subditis facultas resistendi denegatur, non vero, ac si Rex, qui hoc facit; pro foro interno immunis esset a peccato.

§ 152.

Tyrannus olim Regem significabat, hodie duae sunt ejus species, *tyrannus titulo tenus*, de quo in § 199. et *tyrannus exercitio*, seu imperans, qui totius evertendae civitatis propositum manifestat. *Hinc* nondum tyrannidem exercet, qui vel illimitato utitur imperio, vel privatim cives laedit, quia per id non manifestat propositum evertendae totius civitatis, ab unius enim civis, vel plurium laesione non valet argumentum ad totam civitatem; sed nec ille est tyrannus, qui ex culpa, ignorantia, aut ingenii defectu integrae civitati mala infligit, quia haec non proficiscuntur ex defectu voluntatis, sed ex defectu intellectus, propositum autem est actus voluntatis, quo decreti executio determinatur. *Neque tyranno licet resistere:* Quia imprimis non existit, nam nullus imperans potest prudenter praesumi velle se ipsum per summum scelus, et absque omni utilitate impe-

rio privare; Et nec competit subditis de suo imperante tale judicium ferre, praesertim cum multitudo proclivis sit de eversione civitatis perperam judicare, majorem enim quandam negligentiam pro derelictione imperii, remedia violenta, quae pro sanandis reipublicae morbis adhibentur, pro crudelitate habet, ut hoc obtentu optimi jam periverint Reges. *Deinde tametsi existeret, arma tamen in ipsius personam movere non licet.* Quia dantur media leniora 1. non suppeditare illi vires. 2. non obedire in re illicita. 3. securo includere loco, atque custodire, non enim esset sanae mentis, sicut, qui in propria saevit viscera, talis autem commiserationem potius meretur, quam odium. Quod si extraneis resistatur hostibus, nulla jam fit injuria majestati. *Conf. Car. Ant. de Martini de Jur. Civ. pos.* 383. *etc.*

Barclajus, Wolfius, Achenvalius dicunt in tali casu majus malum esse pati, quam resistere. Transeat, si sermo sit de malo physico, in utroque enim casu perit securitas, at resistentia majus malum morale est, adhibetur enim neglectis mediis lenioribus. *Sed tyrannus ipso facto renunciat imperio, voluntas enim imperandi, et perdendi simul consistere nequeunt.* Nequaquam, si enim daretur tyrannus, non esset sanae mentis, talis autem nulla voluntas, nulla renunciatio. *Sed Macbabaei contra Antiochum legitimum Regem religionis causa arma corripuerunt. Machab. I. c.* 3. Speciali mandato Dei, cujus etiam in Reges summum jus est, secus a crimine rebellionis non possent excusari, jam autem quod licet Dei auctoritate, sine ea

illi-

illicitum est, sic licet Israelitae vasa abstulerint Aegyptiorum, et Samson se occiderit, minime tamen sequitur licitum esse furtum, vel autochiriam.

Caput XII.

De forma imperii mixta.

§ 153.

Ut formam imperii mixtam comprehendamus, imperium debemus tanquam aliquod totum, ex variis partibus compositum considerare, quia imperium plura continet jura, uti potestatem legislatoriam, inspectoriam, et executoriam. Hacc jura majestatica *partes potentiales* appellantur, quia potestatem civilem denotant. Imperium hoc vel est *plenum*, si nulla sui potentiali parte sit diminutum, vel *minus plenum*, si aliqua tali parte careat. Item vel est *absolutum*, cujus exercitium nonnisi finis, et natura civitatis restringit, vel *limitatum*, cujus exercitium pactis praeterea fundamentalibus coarctatur. *Vi suae originis* imperium penes populum semper est plenum, et absolutum, quia tale est ex natura sua, et nemo tunc erat, qui illud vel aliqua parte potentiali diminuisset, vel eidem limites posuisset. *Sed si in alium transferatur*, potest esse plenum, et absolutum vel tantum limitatum, vel minus plenum, quia populus de imperio potest pro libitu dispone-

 re;

re; Et imperans civilis haud majorem acquirit potestatem, quam ei per pactum subjectionis a populo tributa sit.

§ 154.

Imperium potest esse partim absolutum, partim limitatum, partim minus plenum, quia fieri potest, ut in aliqua civitate imperans v. g. solus utatur jure belli, et pacis, et quidem nulla adjecta conditione, at leges ferre non possit, nisi cum consensu statuum, tributa vero indicere ab arbitrio populi unice pendeat, tunc imperans quoad jus belli, et pacis habet imperium *absolutūm*, quoad potestatem legislatoriam *limitatum*, et quoad tributa *minus plenum*. Denique potest imperium esse plenum, et tamen limitatum, si v. g. imperans habeat quidem et potestatem legislatoriam, et inspectoriam, et executoriam, sed aliquam nonnisi juxta certam formulam exercere possit, tunc imperium est *plenum*, quia nulla sui potentiali, parte diminutum, *limitatum* tamen quoad aliquam, quia ejus exercitium non tantum fine civitatis, sed etiam pacto fundamentali est restrictum. Hac ratione etiam *democratia limitata* concipi potest, quia non repugnat, ut quorumdam jurium exercitium ad unius civis consensum restringatur, vel ut sit cautum, ne vota sint virilia, sed potius curiata, aut centuriata, vel si conveniatur, ut vota majora non concludant, sed unanimia, aut duae tertiae.

Hobbesius dicit inanem esse limitationem imperii, quod imperans ea non obstante media necessaria ad finem adhibere possit. Falsum est, nam pacta servanda sunt, sed in tali casu civium est judicare, an velint in jure per pactum acquisito aliquid relaxare. *Sed limitatio obest summitati majestatis.* Non: si tantum juris exercitium limitetur, secus nec absolutum imperium esset summum, nam et hoc naturales habet limites, finem et naturam civitatis.

§ 155.

Possibilis etiam est forma imperii mixta, quia forma imperii mixta est, quando imperium civile duae, vel tres personae simul tenent, *seu* quando jura majestatica sunt in partes potentiales divisa, hoc autem nec *naturae imperii* repugnat, illud enim plura jura majestatica complectitur; nec *potestati populi*, nam iste de imperio potest pro lubitu disponere. Et quidem multae possunt reipublicae mixtae formae existere, quia varia sunt jura majestatica, quae diverso modo in partes potentiales dividi possunt; Quaelibet tamen nonnisi ex legibus fundamentalibus intelligitur, quia in his tantum potest populus de imperio disponere. *Haec autem est ejus natura:* 1. In forma mixta plures sunt partiales imperantes, v. g. Aristae habent potestatem inspectoriam, populus legislatoriam, Monarcha executoriam, quia jura majestatica sunt in partes potentiales divisa. 2. Quilibet partialis imperans certam habet imperii partem vel communem cum aliis, vel propriam, quia

jura

jura majestatica ita sunt divisa, ut certa pars vel uni personae singulari, vel personae morali, seu pluribus simul sumtis obtigerit. 3. Quilibet partialis imperans in exercitio juris majestatici sibi obvenientis a nullius hominis arbitrie pendet, quia nomine proprio habet certam partem imperii, quod ratione omnium suarum partium potentialium est independens. 4. Plenum, et absolutum imperium nonnisi conjunctim a partialibus imperantibus exercetur, quia tantum conjuncti habent imperium, quod nulla potentiali parte caret.

§ 156.

Denominationem vero accipit a pluralitate jurium majestaticorum, vel uni, vel optimatibus, vel populo concessa ita, ut respublica, jam monarchia, jam aristocratia, jam democratia mixta vocetur, et quidem illa forma primo loco ponitur, quae praevalet, quia a potiori fit denominatio: Quod si nulla praevaleat; additur vox *aequalitatis ;* sunt autem sedecim hujusmodi formae: I. Monarchico-aristocratica, in qua plura jura majestatica habet unus, quam optimates. II. Aristocratico - monarchica. III. Monarchia et aristocratia aequalis. IV. Monarchico-democratica. V. Democratico-monarchica. VI. Monarchia, et democratia aequalis. VII. Aristocratico-democratica. VIII. Democratico - aristocratica. IX, Aristocratia, et democratia aequalis. X. Monarchico - aristocratico - democratica, in qua plurima jura majestatica habet monarcha, pauciora optimates,

tes, et paucissima populus. XI. Monarcico-democratico-aristocratica. XII. Aristocratico-monarchico-democratica. XIII. Aristocratico-democratico-monarchica. XIV. Democratico-monarchico-aristocratica. XV. Democratico-aristocratico-monarchica. XVI. Monarchica, aristocratica, et democratica aequalis.

§ 157.

In omni forma imperii actus ab imperante injuste susceptus est nullus, et invalidus, v. g. si in forma imperii mixta jus exerceat majestaticum sibi non concessum; vel in forma limitata agat aliquid contra leges fundamentales, quia omnis actus sine jure positus est nullus, repugnat enim, ut non jus producat jus. *Hinc male argumentatur Grotius*, dum in forma limitata actum contra leges fundamentales positum agnoscit quidem injustum, sed non invalidum. Quia si est injustus, etiam invalidus esse debet, nunquam enim adest facultas moralis ad id, quod injustum est, ergo ponitur sine jure, talis autem actus est nullus. *Dein* absurdum est ex injuria alteri facta jus consequi.

§ 158.

Quibus appellatio reipublicae mixtae, valde exosa est, ita objiciunt: 1. *Possunt quidem jura majestatica in partes potentiales dividi, sed inde nonnisi forma limitata nascitur.* Verum forma limitata toto coelo differt a mixta, nam in illa imperans habet plenum imperium, et tantum quoad exercitium nonnullorum ju-

rium

rium majestaticorum est restrictus, in hac vero nullus partialis imperans habet plenum imperium. 2. *Sed forma mixta componeretur ex partibus contradictoriis, monarchia enim excludit aristocratiam, et vicissim.* Non dicimus formam mixtam ex integris simplicibus componi, sed ex illis tribus, aut binis denominationem participare, quemadmodum enim simplex monarchia est, ubi una persona singularis totum habet imperium. Aristocratia autem, ubi Aristae imperant, ita Monarchico-aristocratica forma est, in qua una persona singularis alia jura majestatica, et alia Aristae exercent. 3. *Majestas est una et individua, ergo in partes potentiales dividi non potest.* Negatur consequentia, est enim una respectu totius populi, et talis semper manet, neque a civitate avellitur, licet inter ipsos cives per partes potentiales dividatur. 4. *Sed jura majestatica omnia invicem necessario connexa sunt.* Ita ab origine dum civitas coaluit, secus non potuissent omnia debite ad finem ordinari, non item post factam ordinationem civitatis, praesertim cum populus possit de imperio pro libitu disponere, secus nec limitari posset imperium, quod tamen adversarii liberaliter admittunt. 5. *Ex divisione jurium majestaticorum inducitur aristocratia.* Nequaquam, nam in aristocratia jura non dividuntur, sed optimatibus simul sumtis competunt, qui unum efficiunt imperantem, in forma autem mixta plures sunt partiales imperantes, et quidem quoad jura sibi competentia a se invicem independentes. 6. *Ergo per hanc formam facilius unio civilis turbatur.* Hoc quidem verissimum est, quod enim unus salutariter constituit, potest alter non exequi, sed, uti observat Grotius: *nihil in civilibus est, quod omni ex parte incommodis careat, et jus non ex eo, quod optimum huic, aut illi videtur, sed ex voluntate ejus, unde jus oritur, metiendum est.*

§ 159.

§ 159.

Datur etiam forma reipublicae, quae *civitas composita, et unita* audit, si nimirum plures civitates communi cuidam imperanti subjiciantur, illi enim, qui inter se connexi sunt, recte pro uno habentur. Est autem duplex unio civitatum: alia *incorporativa*, si aliqua civitas veluti pars, et accessorium cum altera tanquam toto, et principali coalescat, talis olim inter Romanos, et Latinos, et Albanos obtinuit; alia *non incorporativa*, et stricte civitas composita, quando plures civitates proprios habentes rectores ita in unam societatem civilem coadunantur, ut salva singulis rectoribus gubernandi suos populos propria potestate, communi tamen imperio subjiciantur.

§ 160.

A civitate composita differt *systema civitatum*, seu corpus Rerumpublicarum faederatarum, quales olim erant duodecim urbes Achaicae, modo autem sunt provinciae Helveticae, quando nimirum plures civitates conjunguntur absque communi imperio in eum finem, ut communia pericula unitis viribus amoliantur, quia in civitate composita adest commune imperium, non item in systemate civitatum. *Ex natura hujus systematis sequentes deducuntur conclusiones:* I. Populi foederatarum civitatum vivunt in statu anarchico, quia non habent commune imperium, pacto tamen obligantur ad praestandam sibi mutuo securita-

rita-

ritatem. II. Systema civitatum non est civitas, quia deficit commune imperium. III. Negotia communia per legatos in senatu conjunctos debent tractari, quia inter aequales, et dissitos, atque nullum commune imperium habentes alio modo communia negotia finiri non possunt, ut autem universi cives conveniant, repugnat. IV. Quaelibet foederata civitas suam pristinam retinet formam, et sua jura majestatica, quia tantum paciscuntur de ferendo sibi mutuo auxilio, et ideo quaelibet, quando ab hoste impetitur, ab omnibus exigere potest, ut se unitis defendant viribus, quia ex pacto nascitur jus perfectum exigendi promissum. V. Salus civitatis simplicis non potest praeferri saluti omnium civitatum foederatarum, quia systema hoc est societas composita, in qua salus societatis compositae praecedit salutem societatis simplicis. VI. Haec foederatio non potest pro arbitrio unius civitatis dissolvi, quia pacta servari debent, nisi aliqua non faceret, quod conventum fuit, quia perfidia est modus, quo pacta cessant.

§ 161.

Quae fit ex civitatum formis, praestantior, vana fere est disceptatio, quia saepe ingenium, et indoles populi, clima, natura loci, ac situs longe aliam reipublicae ordinationem exigit; *Deinde* quia quaelibet forma sua habet commoda, et incommoda: *Democratiae commoda sunt*: securitas ab oneribus superfluis, idem enim populus, qui singila-

gilative subditus est, simul sumtus imperat. *Incommoda autem:* tarda sunt consilia, facile propalantur, saepe sunt temeraria, dantur enim in comitiis a multitutine, praeterea si adsint oratores, vel tribuni plebis, oriuntur frequentius seditiones, denique virtutis excellentioris odium ex metu evertendae democratiae, ita apud Athenienses praeclari viri ferme omnes vel exilio, vel morte mulctati sunt. *Aristocratiae commoda:* Consiliorum maturitas, oculi enim plus vident, quam oculus, molliore utuntur imperio cives,. et opulentia, plerique enim opificiis, et commerciis navant operam. *Ejusdem incommoda:* factiones perpetuae, consiliorum lentitudo, quia etiam in senatu feruntur; plebis licet virtute, et meritis ornatae exclusio ab omni honore, Officia enim vel ipsi Aristae, vel eorum filii gerunt, demum magnitudo sumtuum ad alendos plures Aristas totidem quasi regulos.

§ 162.

Monarchiae incommoda, naturalis libertatis amissio quam maxima, uni enim ceteri omnes subjecti sunt; deinde perpetuae mutationes, denique res plena periculi, si malus foret, rerumque alienarum cupidus Princeps, *Commoda autem* Remedia ad securitatem externam necessaria in promtu sunt, consilia magis occultantur, et celerius executioni dantur, virtuti, et meritis facilior via patet ad dignitates, ideo etiam elegantior obtinet vivendi ratio; *Hinc* si haec invicem conferantur

omnia,

omnia, et cetera sint paria, inter has formas facile monarchia eminet. *De forma mixta ita scribit Polybius Hist. I. p.* 628. Eam rempublicam censeri debere optimam, quae ex omnibus istis formis sit composita. *Sed respondet Tacitus, Annal. IV. c.* 33. Delectam ex his, et constitutam reipublicae formam laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haut diuturnam esse posse. *Quapropter* boni civis est, formam, in qua vivit, tueri, et personam, quae ipsi a divina providentia obtigit, fortiter sustinere, quia facilius est, incommoda, quibus jam assvevimus, perferre, quam novis nosmet assvefacere, ab assvetis enim non fit passio.

Caput XIII.

De modis acquirendi imperium civile.

§ 163.

Imperium civile sive sit democraticum, sive aristocraticum, sive monarchicum *origine tenus* nonnisi pacto vel expresso, vel tacito acquiritur, quia imperium civile est jus perfectum, et affirmativum in actiones subditorum, tale autem jus nonnisi lege, vel pacto acquiritur, sed imperium civile origine tenus lege non acquiritur, nam lex naturalis civitatem, consequenter imperium civile tantum in gene-

genere, non etiam in specie praecepit, liberum enim erat patribusfamilias consultare, an societatem civilem inire, an vero in vetere statu manere debeant, ergo acquiritur pacto.

Saepissime quidem imperium in alios ex praescripto legis transfertur. Sed non originarium, verum jam constitutum, cujus leges in praecedentibus pactis fundantur. *Aliquando etiam nova regiminis forma per vim introducitur.* Sed etiam tunc consensus vel ultroneus, vel secundum quid coactus supervenire debuit, sine unione enim voluntatum civitas cogitari nequit, jam autem vis physica non cadit in voluntatem.

§ 164.

Imperium autem semel constitutum obtinetur vel electione, vel successione, vel mixtim. *Electiva civitas* est, in qua persona singularis imperantis eo fine eligitur, ut illa deficiente per novam electionem alia pro arbitrio substituatur. Successiva civitas est, in qua citra omnem electionem in defuncti imperantis locum ejus successor surrogatur. *Mixta*, in qua populus quidem per novam electionem substituit successorem, sed tamen ex certa familia. *Natura civitatis electivae in his consistit:* I. In ea imperium civile soli electae personae inhaeret; quia illud populus illi soli detulit, *Hinc* mortuo imperante imperium redit ad populum, quia tantum ad dies vitae fuit in electum translatum, deficiente itaque imperante populus potest vel alium eligere, vel veterem etiam immutare

tare

taro formam quia tunc imperium iterum est in τῷ suo populi, de quo liberum est pro arbitrio disponere.

§ 165.

II. Inter electum, et eligentes intercedit pactum, quia eligentes quidem promittunt electo imperium, sed effectum non sortitur electio, nisi acceptetur, nemini enim invito potest obtrudi jus, cui renunciare licet, quod si electus acceptet, adest promissio acceptata, quae pactum est. III. Electioni possunt certae conditiones adjici, quia electio peragitur pacto, pactis autem possunt conditiones adjici: Ex talibus conditionibus prodeunt leges fundamentales, quia sunt conventio inter imperantem, et populum tempore translationis imperii; hae in specie *capitulationes* vocantur, quod soleant in capita redigi, debentque servari, quia sunt pacta.

§ 166.

IV. Populus potest jus eligendi in certas personas transferre, quae *electores* nuncupabuntur, quia quod quis per alium facit, per se fecisse videtur; Atque his requisita electionis intuitu personae loci, modi, ac temporis definire, quae si non observent, non tenetur electionem agnoscere, quia mandans nonnisi negotium intra fines mandati gestum ratihabere obligatur. *Ceterum* in solo jure eligendi, jus capitulationem faciendi non continetur,

tur, quia posito uno ex duobus diversis, non ponitur etiam aliud. V. Electores debent imperantem votis majoribus eligere, quia inter aequales vota majora concludunt, et quidem vota debent esse majora respectu eligentium, non autem tantum respectu eorum, qui eliguntur, quia consensus eligentium electionem determinat. *Confer. Jur. Nat. oecon. cap.* 1. Nisi populo aliud placuisset, quia jus eligendi pertinet ad populum, qui de illo, illiusque modo potest disponere.

§ 167.

VI. Electus monarcha nec successorem populo obtrudere, nec futuri alterius imperantis electionem impedire potest, quia naturaliter non ab ejus, sed populi potestate dependet novae electionis exercitium; Si tamen vivente adhuc monarcha ad evitandas turbas futurus imperans eligatur, iste se prioris regimini eo invito immiscere non potest, quia jus imperii solius prioris electi personae inhaeret. VII. Etiam aristocratia potest esse electiva, quia non repugnat, ut novi optimates in locum mortuorum a populo eligantur. *At democratia, si semel stabilita sit, perpetuo successiva manet,* quia sive virilia, sive curiata, sive centuriata sive seniora vigeant suffragia, semper novi succedunt in locum mortuorum absque novo electionis actu, neque enim viri, neque districtus, neque bona, neque seniores deficiunt omnes, talis autem civitas est successiva.

Neque dicas: etiam in democratia posse eligi certas personas, quae comitia celebrent, et quidem alias. et alias in locum mortuarum. Quia istae personae vel nomine proprio, vel nomine populi exercebunt jura majestatica, si *primum*, cessabit democratia, si *secundum*, non erit electiva civitas, quia electus vi electionis debet obtinere imperium.

§ 168.

Varia est ratio succedendi in civile imperium, quia omnis successiva imperii acquisitio certam legem praesupponit, secus enim turbae orirentur, jam autem talis lex varia esse potest. *Hinc* civitas successiva alia est *patrimonialis*, in qua imperans habet facultatem alienandi imperium, alia *non patrimonialis*, in qua imperans alienare imperium non potest; Haec vero vel est *familiaris*, seu hereditaria jure familiae, in qua certae familae imperium competit, vel *non familiaris*, sed legitima, in qua populus jus succedendi in imperio certo personarum generi detulit, v. g. ut senior civis, vel senioris filius sit Rex. Familiaris autem vel est *gradualis*, est *linealis*, atque ista vel *agnatica*, vel *cognatica*, vel *mixta*. Vide *inferius* § 176.

§ 169.

De successiva imperii acquisitione hae tenendae sunt regulae: I. Omnis civitas, praesumitur electiva esse, nisi successio probetur, quia populus eligens sibi imperantem spectat tantum personales

nales ejus qualitates; industriam, fortitudinem, prudentiam, ergo imperium est illi jus personale, tale autem personam non egreditur. II. Etiamsi constet aliquam civitatem esse successivam, non tamen potest praesumi esse patrimonialis, sed tantum familiaris, quia jus alienandi civitatem sub imperio non continetur. *Sed etiamsi* imperium alicui familiae generatim concedatur, non sit tamen ordo succedendi definitus, erit civitas mixta, quia, hoc ipso, quod ordo succedendi non sit definitus, liberum erit populo eligere de illa familia, quem voluerit, talis autem civitas est mixta.

§ 170.

III. Regnum patrimoniale aliud est *perfecte tale*, dum imperans territorium civitatis dividere, imperium in partes potentiales distribuere, et ipsam gubernandi formam immutare potest, aliud *imperfecte tale*, dum imperans habet tantum jus transferendi imperium: Jam tametsi quis spontanea populi voluntate regnum obtineat patrimoniale, attamen illud perfecte patrimoniale non praesumitur, quia tale et pacto unionis civilis, et securitati, et naturae civitatis adversatur, *pacto unionis propterea*, quia vi illius cives sibi invicem stipulati sunt, se in una societate perpetuo permansuros, *securitati propterea*, quia civitas per divisionem viribus defendentibus diminuitur, *naturae civitatis propterea*, quia quaelibet civitas natura sua

 indi-

individua est, jam autem talia de populo praesummi non possunt.

§. 171.

IV. Immo si quis regnum patrimoniale jure belli acquirat, illud in regula non est perfecte patrimoniale, quia tantundem est civitatem bello subjectam in partes secare, ac hominem in bello captum occidere, jam autem hoc non licet, ergo nec illud; *Nisi nulla alia ratione posset finis justo bello intentus obtineri*, quia victori omnia licent, quaecunque justi belli scopus exigit.

Frustra objicis jus belli esse indefinitum. Quia non est infinitum. *Aut: qualitatem, et quantitatem violentiae pro fine consequendo necessariae judicio laesi esse relinquendam.* Quia hoc verum est de foro externo in statu naturali, in quo nullus est judex, non etiam pro foro interno.

§ 172.

Ex natura civitatis successivae patrimonialis etiam imperfecte talis sequentia fluunt: I. Imperans potest regnum, in quem voluerit, per testamentum transferre, adeoque filium secundo genitum praeferre primogenito, mere naturalem legitimo, filium adoptivum, vel extraneum, aut feminam exclusa familia heredem regni nominare; sed etiam potest successores fidei comisso ligare, ut nimirum in perpetuum certo ordine fiat successio, quia in regno patrimoniali im-

pe-

perans potest de imperio pro libitu disponere. Verum in hoc casu fideicomissi successio, quae antea fuerat patrimonialis, in successionem non patrimonialem convertitur, quia successores amplius de imperio disponere non possunt, sed debent legem ab antecessore latam observare.

§ 173.

II. Quisnam succedat in regno patrimoniali, si Rex ab intestato decesserit, distingvi debet inter regnum *jure belli*, et inter regnum *ultronea* populi voluntate acquisitum. In illo succedunt personae juxta ordinem succedendi naturalem, nempe descendentes, ascendentes, collaterales, ita tamen, ut ordo iste naturae regni conformis sit; quia in tali regno sola voluntas imperantis est lex, secundum quam imperium obtinetur, et si non adsit expressa, recurrendum est ad praesumtam, jam autem praesumitur voluisse personas juxta ordinem succedendi naturalem in regno tanquam in patrimonio succedere, conformiter tamen naturae regni, quia ob jus connatum bonae existimationis non potest praesumi Rex voluisse male administrari rempublicam. *Hinc* praeferendus est sanae mentis stulto, et furioso, item, si cetera sint paria, mas feminae, quia ille ad arma, et judicia plerumque aptior est, haec autem imperium per nuptias ad extraneos transferret; Atque si plures sint descendentes, primogenitus excludit secundo genitum, quia et prius jus acquisivit, et divisio civitatis tam

 pa-

pacto unionis, quam securitati, et naturae ejusdem adversatur. *In regno autem ultronea populi voluntate acquisito* non prius ordo succedendi naturalis habet locum, quam si deficiat hypotheticus legibus fundamentalibus statutus, quia hae semper observandae sunt; Et si nihil foret eatenus expressis legibus fundamentalibus constitutum, tunc ille modus succedendi debet observari, qui erat inter privatos receptus eo tempore, quo imperium primo Regi fuerat delatum, quia eo respexisse conjicitur populus successionem patrimonialem admittens. Atque haec succedendi ratio duraret, etsi postea inter privatos diversa successionis norma ab intestato introduceretur: quia dispositio de privatis facta non potest evertere publicas constitutiones, nisi expressa de iis fiat mentio.

§ 174.

III. Si inter filium nothum, et adoptivum oriatur contentio de successione ab intestato, praeferendus est adoptivus, quia ille civiliter non est ejus filius, naturaliter autem sequitur conditionem matris. IV. In regno patrimoniali populus jus succedendi habentem non potest regno excludere, neque novae regiminis formulae alligare, quia totum ejus jus a voluntate antecessoris expressa vel tacita derivatur, nemo autem invitus jure suo privari potest. V. Si Rex regni patrimonialis nulla prius facta dispositione decedat, sitque ejus familia penitus extincta, imperium redit ad populum,

quia

quia tunc nullus adest praeter populum, ad quem imperium pertineret. VI. Si debita sint ab antecessore exigente fine civitatis contracta, successor illa debet solvere, quia talia inhaerent ipsi civitati; Sine necessitate autem facta *sub distinctione:* In regno perfecte patrimoniali tenetur, quia succedit tanquam heres in patrimonio, omnis autem heres succedit in omnes obligationes reales defuncti, In regno autem imperfecte patrimoniali non tenetur ex justitia solvere, quia non succedit in patrimonio stricte tali.

§ 175.

Ad naturam vero civitatis successivae non patrimonialis ista referuntur: I. In hac ordo succedendi in imperio dependet a consensu populi per legem fundamentalem declarato, quia lex, secundum quam imperium obtinetur in civitate successiva non patrimoniali, est voluntas populi. II. In hac tot sunt possibiles succedendi modi, quot possunt pacta fundamentalia concipi, quia ordo succedendi pendet a legibus fundamentalibus. III. Ille est legitimus successor, sive demum ex certa familia, quae *stirps regnatrix* vocatur, sive ex alio personarum genere adveniat, qui juxta ordinem a populo statutum succedit, quia in hac civitate lex, secundum quam imperium obtinetur, est voluntas populi, jam autem id dicitur *legitimum*, quod legi conforme est. IV. Posteriores imperantes jus suum non ab eo, cui immediate succedunt, sed a

po-

populo, et primo acquirente nanciscuntur, quia illud habent vi legum fundamentalium, jam autem leges fundamentales conduntur a populo cum primo acquirente V. Successores debita antecessorum, necessitate publica haud exigente facta solvere nullo modo obligantur, quia illis in regno non succedunt ut heredes, nam nec jus habent ab illis, nec regnum est patrimoniale, jam vero nec heres tenetur ultra vires hereditarias.

§ 176.

Civitas successiva familiaris vel est *gradualis,* quando ex stirpe regnatrice is succedit, qui proximior est gradu vel ad primum acquirentem, vel ultimum Regem, prout nimirum legibus fundamentalibus fuerit definitum; vel *linealis*, quando ex stirpe regnatrice is vocatur ad imperium, qui est proximior linea, sic primum succedit linea primogeniti, qua extincta, succedit linea secundo geniti, et sic porro. Haec linealis, vel est *cognatica*, *seu Castellana*, quando post mares etiam feminae admittuntur ad imperium secundum proximitatem lineae, vel *agnatica*, *seu Salica*, quando feminae, et ex iis nati etiam mares ab imperio in perpetuum excluduntur: vel *mixta*, *seu Narbonensis*, *et Austriaca*, quando etiam feminae succedunt, sed nonnisi post omnes quarumvis linearum mares. *Hinc* cognatica successio praemixta favet feminis, agnatica autem nulla ratione,

quia

quia in cognatica feminae excludunt masculos remotiorum linearum, in mixta vero non, in agnatica autem feminae nunquam succedunt.

§ 177.

De successione lineali verae sunt haec conclusiones: I. Filii adoptivi non succedunt, neque ascendentes aut collaterales primi acquirentis, quia ab hoc non descendunt, jam autem successio familiaris tantum ad descendentes primi acquisitoris pertinet. II. Non succedunt liberi mere naturales, quia civiliter non sunt de familia regnatrice. III. Nepos ex primogenito praemortuo excludit patruum secundo genitum, quia est in proximiore linea. IV. Primogenitus, licet ante regni adeptionem natus, praefertur tamen secundo genito in regia fortuna suscepto, quia reapse primogenitus ejus familiae est, cui toti populus regnum detulit, primogenitura enim ex ordine nativitatis aestimatur, *Nisi* legibus fundamentalibus aliud placuisset, quia hae sunt fundamentum successionis in omni civitate non patrimoniali. V. Si ultimus Rex relinquat fratrem, et filiam, tunc in successione cognatica filia Regis ejus fratrem praecedit, quia in hac successione feminae excludunt mares remotiorum linearum, filia autem Regis est in proximiore linea, quam frater Regis, nam proximitas lineae computatur ab ultimo Rege, sic si ultimus Rex relinquat fratrem et filium, non frater, sed filius Regis succedit. *Ast* ulti-

in successione agnatica, et mixta frater Regis praefertur ejus filiae, quia in agnatica feminae nunquam, in mixta autem tunc tantum admittuntur ad imperium, postquam in omnibus lineis defecerunt mares.

Dices forte, in successione lineali magis respicitur ad primum acquirentem, quam ad ultimum possessorem. Ita, si quaeratur, an quis sit de eadem familia, non vero, si in prioritatem lineae inquiratur.

§ 178.

VI. Si in successione mixta post defunctum Regem supersit ex ejus sorore filius, et ex fratre filia, tunc filia ex fratre succedit prae filio ex sorore, quia filia ex fratre utitur jure paterno masculino, patrem enim suum repraesentat, filius autem ex sorore utitur jure materno, atqui in successione mixta mares praecedunt feminas. VII. In eadem successione mixta filia ultimi Regis praecedit omnes filias antecessoris, et illarum liberos, quia illa est in proximiore linea; Et a linea ad lineam non fit transitus, nisi sublata penitus linea regnatrice, aut deficientibus personis ad successionem idoneis, secus enim non esset successio linealis. VIII. Si in successione itidem mixta concurrat ad imperium filia ex primogenito praemortuo cum sua amita, seu filia ultimi possessoris, tunc illa huic praeferetur quia est in proximiore linea, in successione autem

mix-

mixta deficientibus maribus succedunt feminae, sed secundum prioritatem lineae.

§ 179.

IX. In successione denique mixta, si duae essent filiae ultimi Regis, et soror primogenita pareret feminam, secundo genita autem marem, hoc tamen non obstante femina ex primogenita nata excluderet marem, quia utraque persona utitur tantum jure feminino, ex feminis enim descendit, sed femina ex primogenita nata est in proximiore linea, ab una enim linea ad aliam non fit transitus, si in illa etiam personae successionis capaces repeniantur; *Nisi leges fundamentales aliud praescriberent*, Sed etiam tunc filia ex primogenita sorore praemortua praecedit sororem secundo genitam liberis adhuc carentem, quia est in propiore linea, *et quidem ita praecedit*, ut regnum nón sit amissura, etiamsi forte deinde soror secundo genita marem pareret, quia leges fundamentales intelligendae sunt, si mas cum femina concurrat ad successionem, non vero si successio jam delata sit feminae, secus enim haec jure suo privaretur.

§ 180.

Aristocratia etiam potest esse vel electiva, vel successiva, vel mixta: *Electiva*, si populus eligat optimates in locum mortuorum. *Successiva*, si citra novam electionem certis tantum familiis,

aut

aut praediorum possessoribus via ad senatum pateat. *Mixta*, si novos quidem optimates populus eligat, sed tantum ex certis familiis, vel praediorum dominis. *Hinc* quae de electiva, et successiva monarchia dicta sunt, facile ad aristocratiam applicari possunt.

Non putes autem propter electionem eversum iri aristocratiam. Quia salva est monarchia, tametsi populus Regem eligat, ergo etiam.

§ 181.

De civitate successiva adhuc sequentia notari merentur: I. Ordo, et modus succedendi in ipsa reipublicae constitutione quam diligentissime debet sanciri, quia secus, dum de persona successoris dubitatio orietur, turbis, motibusque acerrimis miscebitur respublica, praesertim cum rationem succedendi determinare, nec ipse quantumvis absolutus monarcha possit, et nec populus alium succedendi modum invita stirpe regnatrice statuere; *Non monarcha*, quia talis potestas non continetur sub imperio, hoc enim ad dirigendas tantum actiones subditorum pertinet, determinare autem ordinem succedendi in imperio non refertur ad dirigendos subditos, sed est objectum legum fundamentalium; *Non populus*, quia secus familiae regnatrici jus quaesitum adimeret.

Equidem illi, qui sunt ex familia regnante, possunt de juribus ad se pertinentibus sine populi detrimento pactis, vel transactione disponere, ita Josephus

I.

I. jus suum in Hispaniam cessit fratri suo Carolo. Quia quilibet de juribus ad se pertinentibus, quibus renunciare licet, potest pro libitu disponere, dummodo nulli praejudicium inferatur, quam in rem solida historiae domesticae notitia plurimum proderit, nemo tamen de juribus alienis pro arbitrio disponere valet.

§ 182.

Hinc litem de successione nec Rex superstes, sed nec populus potest decidere; *Non Rex*, quia causa sneccessionis non subest imperio; *Non populus*, quia is durante stirpe regnatrice omni caret jurisdictione. *Nisi* de primaeva populi voluntate esset dubium, v. g, an gradualem, vel linealem successionem detulerit, quia primàevus populus hoc posset facere, paciscentes enim possunt suam dubiam voluntatem explicare, jam autem populus idem semper est, qui olim. *Verum illi ipsi, inter quos dubium est de successione, debent inter se litem suam mediis lenioribus componere,* quia inter homines in statu naturali viventes lis dubia mediis lenioribus componenda est *Conf. Jus. Nat. Eth. cap.* 16. Quod si autem ad arma provolent, potest populus ei se dedere, cujus causa rite perpensa videbitur probabilior, quia talem juris decidendi reservationem sibi fecisse praesumitur, voluit enim turbas vitare, et tamen jus litem hanc de successione natam decidendi monarchae non concessit. *Deinde* confligunt officia erga populum necessitatis, videlicet se conservandi cum officiis erga alios utilitatis, ne nimirum

mirum jus dubium alteri auferatur, sed in tali conflictu officia necessitatis praeferenda sunt.

§ 183.

II. In regno successivo successor non potest invitus aliis rursus pactis, aut capitulationibus adstringi, quia secus jure per primum acquirentem quaesito privaretur. III. Si integra domus regnatrix exstingvatur, imperium redit ad populum, quia nemo exstat de familia, qui jus haberet ad imperium; Et tunc populus potest vel veterem formam retinere, vel aliam eligere, vel novam familiam adsciscere, quia imperium iterum est in τω suo populi, de quo pro lubitu potest disponere. IV. Si is fiat successor, qui in minorenni adhuc aetate constituitur, aliave de causa rempublicam administrare nequit, opus est tutela, aut vicaria administratione, quia alias respublica detrimentum capiet. Et quidem *Tutor, et vicarius regni* possunt legibus fundamentalibus constitui, quia leges fundamentales possunt esse de variis rebus ad imperii administrationem pertinentibus. *Quae si non adsint*, potest imperans sine nova populi voluntate, et tutorem, et vicarium nominare, quia potest publicos officiales constituere. *Deinde* praesumendus est populus tutelam dispositioni patris reliquisse, nec enim minorennes exclusit ab imperio, nec tutelam definivit.

Grotius admittit a patre Rege filio posse dari tutorem, sed negat dari posse ipsi regno, quod id non

ad

ad imperium; sed ad habendi modum pertineat. Sed male, nam jus dandi tutorem, et constituendi vicarium non ad modum habendi imperium pertinet: illud enim nec tutor, nec vicarius acquirit, sed pertinet ad modum administrandi rempublicam, et officia publica conferendi. *Falsum quoque est imperantem posse tantum pro tempore suae vitae disponere.* Quia leges ejus durant etiam post mortem, et sic constituti officiales.

§ 184.

Quodsi eatenus et leges fundamentales, et Regis defuncti declaratio deficiat, Matris est educare minorennem, quia haec est ejus naturalis obligatio. Sed si nec mater adsit, totius erit populi de idoneo tutore prospicere, quia populi plurimum interest bene educari suum futurum Regem.

Quod enim saepissime ii sint tutores, qui proximum jus, ac spem habent in regno succedendi, provenit ex pactis singularibus, non vero ex lege publica universali, nam non potest praesumi populus in hujusmodi tutelam ab initio consensisse, periculosum enim est imperantis personam talibus concredere, qui regnum post ejus mortem sperant.

Caput XIV.

De modis, quibus imperium civile desinit.

§ 185.

Modi, quibus imperium civile desinit, alii sunt ex parte populi, alii ex parte imperantis: Ex parte *populi* cessat imperium civile interitu populi, quia sine subditis nullum est imperium. Dupliciter autem potest populus interire, vel physice, vel moraliter. *Physice*, si physica membra, ex quibus civitas consociatur, omnia simul auferantur, sic integras gentes mari abreptas scribit *Plin. Hist. Nat. L.* 2. *c.* 92. terrae hiatu haustas commemorat Seneca Epist. 92. spontanea internecione deletos Saguntinos narrat *Liv. L.* 21. *c.* 14. hostium armis deletos Sidonios refert *Just. Hist. L.* 18. *c.* 3. *Moraliter autem*, quando manet quidem multitudo hominum, sed cessat inter eos unio civilis; quod tripliciter evenire potest: 1. si cives vel sponte discedant a civitate, vel violentia quadam ita distrahantur, ut convenire imposterum nequeant, uti contigit populo hebraico. 2. si cives quidem simul maneant, sed amittant personalem libertatem, et fiant servi, quia unio civilis nonnisi inter homines sui juris consistit, civitas enim est coetus hominum sui juris. 3. si corpus quidem sit reliquum, sed plenam, et perfectam juris communionem per unionem incorporati-

nem

vam amittat, quia tunc principalis civitatis imperium agnoscere tenetur. *Aliud dicendum de unione non incorporativa*, quia in hac salva manent cujuslibet populi propria jura, *Uti etiam* dum duo populi amica conventione se uniunt, ut una fiat respublica, neutrius amittuntur jura, sed invicem communicantur, quia sibi invicem se non subjiciunt.

§ 186.

Non desinit autem imperium civile ex parte populi, si cives successive moriantur, quia succedunt novi, manetque idem populus, cum idem unionis principium remaneat: Apposite ad rem Aristoteles comparans flumini populum dixit: flumina eadem vocantur, quamquam alia constanter subeat aqua, alia decedat. *Immo* si vel pauci homines liberi superessent, haberentque animum civitatem continuandi, imperium civile, et reliqua jura retinerent: quia manerent in pacto unionis, quo posito ponitur imperium civile. *Sed nec desinit imperium civile*, Si populus animo alias terras occupandi, vel hostium armis, aut inedia compulsus e terriorio migret, quia propterea non interit populus, neque cessat pactum unionis. Sic pater non amittit patriam potestatem, nec paterfamilias domesticam, quod veterem habitationem mutet; Sic homo liber non fit propterea subjectus, quod per agrum eat vicini, ergo nec populus per alienum transiens territorium ideo perdit majestatem:

Ita

Ita populum Francorum, quod in Galliam, Longobardorum, quod in Italiam, Hunnorum, quod in Hungariam transierint, populos esse desiisse nemo dixerit.

§ 187.

Item non desinit imperium civile mutata regiminis forma, quia tunc tantum aliud pactum formae specialis adjicitur, primaevum autem unionis, quod ad condendam civitatem sufficit, permanet. *Hinc* populus easdem habet obligationes, et jura in monarchia, quae habuit in democratia, vel aristocratia, et vicissim, v. g. obligabatur in democratia aes alienum solvere, vel foedus implere, obligabitur etiam in monarchia, quia mutata forma manet idem populus. *Denique* si populus vel vi bellica, vel mutuo consensu, vel imperantis regno perfecte patrimoniali utentis voluntate in duas partes subjectivas dividatur, tunc quidem non manet eadem civitas, quia fiunt duae, attamen imperium civile non cessat, quia pro una duae existunt majestates, *Sic etiam*, si populus coloniam ea lege dimittat, ut non urbis matricis nomine, sed suo jure novas sibi sedes quaerat, non finitur imperium civile, quia civitatis in duas partes subjectivas divisione non expirat majestas, et discedens multitudo novum sibi pacto unionis efformat imperium.

At objices: mutata religione mutari ecclesiam, ergo etiam mutata forma mutari civitatem. Disparitas est, mutatio religionis pertinet ad constitutionem ecclesiae,

quae

quae est societas ad Deum eodem modo colendum inita, mutatio autem formae reipublicae concernit tantum ejus ordinationem.

§ 188.

Manente autem populo ex parte imperantis cessat civile imperium I. *Morte Regis*, quia mortuus nullum amplius jus exercere potest: Quo in casu, si civitas fuit successiva, imperium ad legitimum successorem transmittitur, si vero fuit electiva, aut tota stirps regnatrix sit extincta, redit ad populum, quia jura ad certum solummodo tempus in alterum translata elapso hoc tempore priori cedere possessori manifestum est. Mortuo in civitate electiva Rege nascitur *interegnum*, seu status, in quo sedes regia vacat, vel tempus, quod a morte monarchae usque ad novi electionem decurrit. Tempore interegni potest populus jura majestatica sibi perpetuo retinere, vel novum Regem eligere, vel rempublicam per *vicarios regni* administrare, quia imperium rediit ad populum, de quo, ut de re propria, pro arbitrio poterit disponere.

§ 189.

Jura vicariorum regni ex lege fundamentali, et populi concessione mensuram accipiunt, quia sunt tantum publici officiales, nomine enim populi administrant rempublicam, talium autem jura ex concessione imperantis colliguntur. *Sed etiam* potest po-

populus jus eligendi novum imperantem certis personis, quas electores vocamus, concedere, quia quod quis per alium facit, per se fecisse videtur; Propterea tamen electores non habent imperium; quia haec duo jura diversa sunt, jam autem uno ex duobus diversis concesso, non sequitur aliud etiam concessum esse.

Dariesius putat 1. *Si electores non habent imperium, civitatem esse absque majestate,* 2. *non posse imperium electo conferri.* Sed utrumque falsum est, nam majestas est penes populum, et electores nomine populi conferunt electo imperium, neque enim requiritur, ut mandatarius, iisdem sit praeditus juribus, quae nomine mandantis in alterum transfert.

§ 190.

II. *Abdicatione imperii*, seu actu, quo imperans expresse declarat, se juribus majestaticis amplius uti nolle, quia renunciando imperio illud deinceps non pertinet ad τω suum imperantis. Celebriora abdicationum exempla habemus in Diocletiano, Carolo V. Imperatore, Joanne Casimiro Poloniae, Victore Amadaeo Sardiniae regibus, atque Christina Sveciae Regina. Est autem abdicatio alia *innoxia*, ex qua populo nullum detrimentum nascitur, alia *noxia*, quae calamitatibus patriam involveret; ut si imminente bello, vel in aetate futuri successoris pupillari susciperetur. Abdicatio innoxia invito etiam populo licita est, quia quilibet juri suo permissivo renunciare potest invito etiam

alte-

altero, dummodo nullum illi inde damnum nascatur; At abdicatio noxia illicita est invito populo, quia non licet esse causam moralem alterius damni. Sic etiam illicita esset abdicatio, licet innoxia, si expresse conventum foret, ne quis jure abdicandi utatur, veluti Polonorum reges inde a Michaele Wieznoviczkio se regno non abdicaturos promitere debebant, quia pacta non implere illicitum est.

Sed dices, inter regem, et populum tacitum intercedere pactum de non facienda abdicatione. Negatur, si de innoxia sit sermo, nec enim, qui regimen suscipit, se id ad ultimum vitae momentum retenturum promittit, nec populus hoc intendit, cum etiam ab alio aeque bene possit gubernari.

§ 191.

III. *Derelictione imperii*, seu facto indubitato, quo imperans demonstrat, se imposterum populum gubernare nolle, quia nemo potest cogi, ut invitus jura, quibus renunciare licet, retineat. Hujus exemplum praebuit Henricus I. Valesius, qui Poloniae rex electus audita fratris Caroli IX. Galliarum regis morte ad capessendam Galliae coronam clam se Cracovia subduxit, unde Poloni insequente anno Stephanum Bátory principem Transylvaniae regem creavere. Qui tamen tantum negligenter administrat regnum, illud non derelinquit, uti etiam, qui ex regno fugit vel ob metum ab invasore, vel a populo seditioso, vel quem ex-

tra patriam captivitas detinet, quia haec non sunt indubitata facta nolle gubernare populum: Hac de causa non dereliquit regnum Carolus XII. Sveciae rex amisso ad Pultavam praelio ad Turcas profugus, Atque Galliae regnum omnino retinuit Franciscus I. a Carolo V. Imperatore in praelio Ticinensi victus, captusque Madriti detentus. *Observandum*: Si rex post amissionem imperii remaneat in territorio, statum subditi amplectitur, atque adeo, si salutem publicam turbaverit, imperantis successoris coercitioni aeque, ac ceteri subditi erit obnoxius, quia in civitate alii non dantur, quam vel imperantes vel parentes. *Nisi* independentiam sibi fuisset stipulatus, uti fecit Christina Sveciae regina, tunc enim non poterit mediis civilibus, sed tantum naturalibus coerceri, quia vivit in statu naturali.

§ 192.

IV. *Alienatione*, seu translatione imperii in alium facta, quia est sufficiens factum, quo cessum alteri imperium in cedentis persona exspirat. Hoc quidem verum est in regno patrimoniali, quia in tali imperans habet jus imperium alienandi, At in regno non patrimoniali invito populo alienatione non amittitur imperium civile, quia in hoc imperans non habet facultatem alienandi imperium, ergo alienatio est sine jure facta, ergo nulla, ergo per eam nec tertio jus quaeritur, nec cedentis principis

cipis jus imminuitur, actus enim nullus nullos juris effectus operatur.

Sed talis imperans manifestam derelinquendi regni mentem prodit. Distingvo: sub conditione, si in alium translatio facta permittatur a populo, *concedo*, simpliciter, hoc est, seu valida sit cessio, seu nulla, *nego*, Hoc enim esset praesumere de imperante jactare voluisse sua jura, atque non scire naturam regni, cui praeest.

§ 193.

V. *Renunciatione, vel derelictione a parentibus facta* liberi nondum nati, nec concepti amittunt jus succedendi in imperio, quia postquam deinde nascuntur, nascuntur a talibus parentibus, qui ipsi jus succendendi non habent, *At* jam natis, aut saltem conceptis renunciatio parentum nihil nocet, quia jam natis jus, faetui autem spes juris per nativitatem acquirendi adimi nequit. *Et quidem* ad renunciationem pro liberis nondum conceptis faciendam non est opus consensu populi, quia in tales a populo nullum jus potuit transferri, non entis enim nullae qualitates. *Sed nec nuda patris abdicatio sine liberorum mentione facta iis nocebit:* quia tunc censetur pater pro se tantum renunciasse juri succedendi, non etiam juri transmittendi illud ad posteros, haec enim duo jura diversa sunt, ut adeo, qui uni renunciat, non potest dici renunciasse etiam alteri, nisi hoc expressis verbis faciat.

Sed

Sed ais: jus liberorum venire a populo, ergo illi non posse a patre renunciari. Ita tamen, ut illud ab ascendentibus ad descendentes debeat transmitti, secus non esset regnum successivum familiare, jam autem si eo, quo liberi concipiuntur tempore, pater nullum jus habuit, nullum quoque in liberos transmittere potuit.

§ 194.

VI. *Exheredatione* in regno patrimoniali, quia in tali imperans potest de imperio pro lubitu disponere. Nihil autem operatur exheredatio paterna in regno non patrimoniali, quia in hoc imperans non potest pro libitu disponere de imperio; Et filius jam conceptus jus suum a populo per patrem acquisivit, ergo a successione excludi nequit.

Sed pater filium rebellem potest morte punire, ergo multo magis exheredare. Disparitas est, jus enim vitae, et necis est jus majestaticum, ast jus disponendi de successione non continetur sub imperio civili.

§ 195.

VII. Ex parte imperantis cessat civile imperium *furore, vel dementia* Regi superveniente, si nulla plane spes affulgeat, eum ad sanam mentem rediturum, quia in tali statu impossibile illi est eum finem obtinere, ob quem in ipsum imperium est translatum. *Deinde* talis imperans habendus est pro mortuo, morte autem cessat imperium civile. Sic Carolus Hispániarum Rex auditis imperii

rii ordinibus Philippum filium regni incapacem declaravit, et filiis natu minoribus successionem detulit. *Quodsi* imperans fortuito quidem dementiae impetu fuerit lacessitus, spe tamen recuperandae sanitatis non omnino praeclusa, imperium civile non amittit, quia tunc ut aegrotus tantum spectandus est.

§ 196.

Non est autem modus amittendi imperium civile, si imperans leges fundamentales violet, quia imperans violando leges fundamentales tantum plura jura arrogat, quam sibi concessa fuerint, nemo autem ideo sua vera jura amittit, quod alia plura sibi arrogaverit, sic propterea debitos sibi 100. florenos Petrus non amittit, quod ducentos praetendat, ita etiam, qui damnum fecit alteri ducentorum florenorum, propterea non amittit totum suum v. g. triginta millium patrimonium.

Sed si ita, tunc actus contra leges fundamentales susceptus erit validus: Nequaquam, sed erit nullus, quia sine jure positus. *Sed ob perfidiam unius pacta cessant.* Hoc ita est intelligendum, ex qua parte unus paciscentium pactum non observat, nec alter tenetur observare, at ex qua parte ille observat, etiam iste servare debet, ibi enim nulla committitur perfidia, cum ergo imperans violando leges fundamentales fidem frangat, in eo populus ei obedire non tenetur, obligatur autem obedire in aliis, servat enim fidem, promovetque finem civitatis, uti promisit.

§ 197.

§ 197.

Sed etiamsi imperans clausulae, seu legi comissoriae alligetur, non statim amittit imperium: Est autem *clausula*, vel *lex commissoria*, pactum imperantis cum civibus initum, ut violatis legibus fundamentalibus imperio cadat: *Talis clausula regiminis delationi adjici potest*, quia imprimis nullam involvit turpitudinem, *deinde* ab arbitrio populi pendet, quem sui regiminis esse modum, et qua sanctione reservatorum sibi jurium violationi obviare velit: Exemplum legis comissoriae habemus in coronatione Stephani Polonorum regis *apud Thuanum L.* 62. Jam si regni concessioni apposita sit lex comissoria, videndum: an a principe, et populo constituti sint viri, debitaque ad id potestate instructi, ut de facto violationis pactorum publicorum cognoscant, vel non; si non sunt tales viri constituti, tunc violatis licet pactis, non tamen amittit imperium, quia vel dubium est, vel certum violatas esse leges fundamentales, si *est dubium*, nemo est judex, qui violatas esse leges posset decidere; *si autem certum*, tunc potest imperans jus eminens ob summam reipublicae necessitatem obtendere, cujus judicio standum est, quia praetermissa a populo arbitrorum designatione solius principis est de casu necessitatis sententiam ferre. *Nisi manifesta foret legum fundamentalium violatio* v. g. Rex contra conventionem a regno discederet, vel uxorem duceret peregrinam, eamque ipse princeps fateretur, nega-

retque

retque necessitatis causam, quia tunc se tacite regno abdicaret, illudque derelinqueret, derelictio autem est modus amittendi imperium. *Si autem* sint ejusmodi viri constituti, et imperans violet leges fundamentales, amittit imperium, quia tunc jam tollitur perpetua de facto violationis incertitudo, evanescitque principem convincendi impossibilitas. *Attamen* constitutio talium virorum summitati majestatis non officit, quia illi tantum vices arbitrorum sustinent vi compromissi, per quod subjectio non inducitur, neque imperans in dirigendis subditorum actionibus ab eorum arbitrio pendet, in quo summitas majestatis consistit.

Sed si imperans absque designatis arbitris non amittit imperium, inanis est lex commissoria: Nequaquam, obligat enim in conscientia. *Sed praesumendus est populus sibi reservasse jus actiones imperantis dijudicandi:* Negatur, nam in dubio nihil eorum potest praesumi, quae independentiae majestatis adversantur; *Deinde* jus sibi reservare significat, retinere sibi jus jam prius competens, atqui populus tempore delati imperii judicium in eum, cui se subjecit, non habuit, ergo nec reservare potuit. *Sed si emptioni venditioni adjiciatur lex comissoria, illaque non observetur, venditor habet jus cogendi emtorem ad rem restituendam, ergo etiam.* Dispar est ratio, in casu enim emtionis habetur certitudo violati pacti, at imperans deficientibus arbitris, qui ejus acta dijudicent, de violatione legum fundamentalium convinci non potest.

§ 198.

§ 198.

Neque est modus amittendi imperium civile *dethronizatio*, seu depositio imperantis a subditis attentata, quia subditi nunquam possunt sibi judicium in imperantem arrogare: Quia etiamsi tyranidem exerceret, deponi tamen non potest, datur enim lenius medium praecavendi eversionem civitatis, videlicet custodia ejusdem, talis etenim furore, aut dementia correptus esse videtur, et ideo commiseratione potius, quam odio dignus, non licet autem media duriora lenioribus praeferre. *Sed nec error, malitia, aut dolus in religione commissus principem throno dejicit*, quia nemo in his terris eo civiliter est superior, majestas enim est summa, quae praeter divinum numen superiorem agnoscit neminem.

Sed talia patrando princeps peccat. Omnino, sed ob solum peccatum naturaliter nemo potest jure suo, aut rebus privari. *Sed imperans catholicus habet superiorem Romanum Pontificem, utpote Primatem universae Ecclesiae*, Affirmative in spiritualibus, negative in civilibus: Hinc potest Pontifex peccantem imperantem punire sed tantum poenis spiritualibus, non autem civiiibus, qualis esset privatio regni, nam qualis est potestas, talia debent esse et media, et consequenter poenae. *Sed praeter alia exempla Gregorius VII. Henricum IV. Imperatorem regno privavit.* Exempla non faciunt jus; *Deinde* habemus contrarium exemplum Christi, qui de Caesare licet ethnico dixit: Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.

§ 199.

§ 199.

Denique nec veniente usurpatore civile perit imperium: Is autem usurpator, vel invasor dicitur, qui sine justa belli causa vi, vel dolo majestatem alteri eripere conatur, qualis etiam *tirannus titulo tenus* dici solet, atque si sit extraneus, *invasor* in specie vocatur, talis fuit Alexander M. si autem sit subditus, *rebellis* nomen meretur, quia directe; et animo doloso armis, tumultu, vel conspiratione securitatem civitatis pessumdare attentat: Talis fuit apud Romanos Caesar, apud Anglos Cromvellus. Ideo autem per usurpationem non amittitur imperium, quia facultas moralis, seu jus a virium physicarum quantitate non pendet, quia non datur jus victoriae, nisi accesserit pactum pacis. *Ceterum* si populus nec resistere valeat invasori, nec possit ab ejecto imperante auxilium expectare, tenetur se usurpatori subjicere, quia secus deleretur, quod est majus malum tam respectu populi, quam legitimi Regis, quam subjectio, *respectu populi* quia alias everteretur civitas, *respectu legitimi Regis*, quia eversa civitate non tantum exercitium juris, sed ipsum quoque ejus jus extingveretur, jam autem minus malum majori praeferendum est. *Hinc* quamdiu durat invasio, usurpator jure potest occidi, quia vel est extraneus, et talis est hostis reipublicae, qualem jure belli occidere licet, vel est subditus, et talis est rebellis, qualis morte puniri potest, consequenter executionem juris puniendi contra eum cuilibet ita commit-

mittere licet, sicut contra viarum grassatorem; Postquam vero jam rerum potitus est, nihil hostile tentari potest, quia quaelibet hostilitas adversaretur datae invasori fidei; *Quare* lex fundamentalis, aut expressum Regis ejecti mandatum de occidendo usurpatore pro illo tempore intelligi debet, quo adhuc quieta imperii administratione non utitur, quia nulla humana lex legi naturali, qua perfidia reprobatur, derogare valet.

Sed populus nihil potest agere contra jus legitimi Regis, neque illi competit jus majestaticum faciendae pacis; Affirmative, nisi id faciat cum consensu sui imperantis, jam autem ille praesumitur consentire, secus enim interiret civitas, quod et populo, et ipsi imperanti majus malum foret, quam subjectio.

§ 200.

Quamprimum autem subditi a legitimo suo imperante defendi possunt, obligantur ad eum redire, quia juri alterius quaesito non potest praejudicari, nisi in quantum ille consentit, jam autem legitimus imperans ideo datam usurpatori subjectionis fidem approbavit, quod suum populum tueri non potuerit: *Deinde* ratio sufficiens factae invasori subjectionis fuit metus evertendae civitatis, qui evanescit, ut primum populus a suo priori Rege defendi potest, cessante autem ratione cessare debet rationatum. *Nisi populus antea in democratia constitutus fuisset,* quia tunc per subjectionem nulli alteri praejudicium est illatum. Quod denique

nique ea concernit, quae usurpator gessit, haec tenenda est regula: I. Illa, quae ad imperii administrationem pertinent, non possunt rescindi nisi ob utilitatem, vel necessitatem publicam, quia quasi nomine legitimi imperantis suscepta videntur, nam in subjectionem usurpatori faciendam, et consequenter in temporariam ejus administrationem ipse legitimus imperans consensit, jam autem quae nomine legitimae potestatis geruntur, nonnisi ob publicam utilitatem, vel necessitatem immutari possunt. II. Reliqua quoque firma manent reduce Rege legitimo, quia secus respublica summis perturbationibus misceretur, jam autem salus civitatis suprema lex est.



JUS

JUS GENTIUM.

Caput I.

De jure gentium generatim.

§ 201.

Gens in triplici sumitur significatione 1. pro multitudine familiarum, quae genere, et agnatione sibi junctae sunt. 2. pro multitudine familiarum, quae idem patrium solum, et mores habent: 3. et quidem in proprio hujus loci sensu pro multitudine familiarum, quae securitatis fruendae causa sub communi imperio colligatae sunt, seu pro *civitate.* Hinc nationes, populi liberi, ac civitates, sive regna sint, sive respublicae, quacunque demum regiminis forma utantur, etiamsi nexui clientelari sint adstrictae, aut habeant pactum de alterius majestate comiter veneranda, vel obligentur annuum pendere tributum, aut sint feudatariae, recte tamen gens in sensu proprio dicuntur, quia haec summitati majestatis non obsunt, ergo sunt multitudo familiarum securitatis fruendae causa sub communi imperio colligata. *At provinciae*, quae alterius parent imperio, etsi singularibus praerogativis sint instructae, in sensu stricto gens dici

non

non possunt, quia non habent proprium imperium civile.

§ 202.

Gentes inter se vivunt in statu naturali, quia sibi invicem subjectae non sunt; propterea tamen potest una gens cum altera esse in societate, quia dantur socieates absque subjectione, v. g. systema civitatum, *Hinc* jura naturalia, quibus gaudebant singuli ante unionem civilem, facta hac unione intuitu extraneorum non sunt diminuta, quia intuitu eorum vivunt in statu naturali. *Equidem* Patresfamilias intrando civitatem renunciarunt naturali libertati, et aequalitati sed tantum respectu propriae civitatis, non autem respectu extraneorum. *Item* obligationes, et leges naturales, quae ante unionem civilem ad singulos pertinebant, competunt etiam toti genti, adeoque gens debet curare officia erga Deum, erga se, aliasque gentes tam imperfecta, quam perfecta, quia gens est persona moralis composita ex singulis, qui intrando civitatem naturam humanam non exuerunt, quia obligationes, et leges naturales sunt immutabiles. *Immo* jura, et obligationes gentis fortiores sunt, quam singulorum, quia gentis jura et obligationes sunt compositae ex singulorum obligationibus, jam autem composita obligatio est fortior, quam simplex.

§ 203.

Gens praeter jura naturalia potest etiam acquisita habere, quia potest pacta inire, per pacta autem

tem nova jura acquiruntur; *Et quidem* gens potest talia jura sibi comparare, quorum singuli non sunt capaces, sic potest gens partem maris, insulam, fluvium occupare, non item singuli, quia singuli non habent tantas vires physicas, ut ista possent apprehendere, et custodire, habet autem multitudo; *Sed etiam* singuli habent aliqua jura, quae gens habere non potest. v. g. singuli celebrant nuptias, utuntur patria potestate, quia facultatem generandi non habet corpus mysticum, sed solummodo persona physica. *Hinc* suum gentis a suo hominis diversum est, quia diversa sunt jura gentis a juribus hominis, atqui suum alicujus sunt bona, perfectiones, et jura, quibus is actu est instructus.

§ 204.

Jus gentium jam sumitur pro *facultate morali*, et tunc est facultas moralis agendi, quod lege gentium praeceptum est, et omittendi quod lege gentium prohibitum est, jam *objective*, et tunc est complexus legum gentium, jam *subjective*, et tuuc est scientia legum gentium. *Jam autem in omni sensu existit jus gentium*, quia existunt inter gentes obligationes, gentes enim inter se ponunt varias liberas actiones, cum quibus connexa sunt vel vera bona, vel vera mala, connexio autem veri boni, vel veri mali cum actione libera est obligatio: si existunt obligationes, debent etiam existere leges, lex enim est propositio enuntians obligationem; si existunt leges, existit etiam facul-

cul-

cultas moralis agendi, quod lege praeceptum est, et omittendi, quod lege prohibitum est, quod est jus gentium pro facultate morali sumtum, sic etiam, si existunt leges gentium, existit quoque complexus earum, quod est jus gentium objective sumtum, sic denique si existunt leges gentium, existit quoque scientia earum, quod est jus gentium subjective sumtum. Atque haec scientia si cum agendo conjungatur, parit *jurisprudentiam gentium*, seu habitum leges gentium demonstrandi, et casus obvenientes illis applicandi, quia omnis jurisprudentia in scientia legum, earumque applicatione versatur.

§ 205.

Licet autem gentes habeant officia tam erga Deum, quam erga se, ea tamen in jure gentium non debent pertractari, quia illa gentes non intuitu alterius gentis, sed intuitu Dei, vel suimet ipsius debent observare, et ideo gens, quae ista non observat, non dicitur jus gentium violasse, *Deinde* in jure gentium jura majestatica externa pertractanda veniunt. Jus gentium aliud est *naturale*, seu philosophicum, quod ex natura gentium intelligitur, aliud *positivum*, seu historicum, quod gentes inter se specialibus pactis constituerunt. Et quidem jus naturale vel est *absolutum*, quod ex natura gentium absque ullo facto derivatur, vel *hypotheticum*, quod ex natura quidem gentis, sed interveniente quopiam facto intelligitur, v. g. foedera ser-

 vare

vare. *Hinc* principium *possibilitatis* juris gentium remotum est essentia divina, proximum possibilitas gentis, *existentiae* remotum Dei voluntas, proximum existentia gentis, *cognoscendi* subjectivum recta ratio, objectivum, fines rerum a Deo creatarum, Ita etiam leges gentium naturales sunt immutabiles, necessariae, aeternae, et universales, quia haec sunt generalia principia, et proprietates juris naturalis hominum, ergo etiam juris naturalis gentium, sicut enim leges naturales hominum ex natura humana, ita etiam leges naturales gentium ex natura gentis deducuntur.

§ 206.

Jus gentium positivum differt ab omnibus juris naturae partibus, quia illud sola ratione non cognoscitur, sicut jus naturae. At jus gentium naturale ex iisdem profluit fontibus, ex quibus jus naturae hominum hauritur, et ideo eadem sunt utriusque disciplinae leges generales, quia jus gentium naturale est pars juris naturalis hominum, hoc enim dividitur in jus naturae ethicum, oeconomicum, et politicum, ad quod jus gentium naturale refertur: *Objecto tamen differt*, quia natura hominis a natura gentium diversa est, aliter etiam nascuntur, perficiuntur, laeduntur, et intereunt singuli, atque gentes; Ideo fit, ut non paucae existant regulae, quibus actiones gentium, non item actiones singulorum hominum applicari debent. *Hinc* jus gentium naturale est jus naturae ad negotia gentium qua talium applicatum, quia jus gentium

tium naturale est quidem pars juris naturalis hominum, ab eodem tamen objecto differt; Et non omnia negotia gentium, v. g. officia erga Deum, sed tantum negotia gentium qua talium ad jus gentium pertinent.

Juris consulti romani jus gentium definiverunt esse jus, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, Verum hoc est jus naturale hominum simpliciter tale; fecerunt hoc illi, ut jus gentium distingverent a jure naturae, quod dicebant esse jus, quod natura omnia animalia docuit, sed etiam male, quia homines cum brutis confuderunt.

§ 207.

Jus gentium positivum universale non datur, quia pacta inter omnes populos expresse, aut tacite celebrata in medium produci non possunt, plures enim sunt nationes, quae vix nomine, nedum societate, et commercio aliis innotescunt.

Grotius dicit multa inter gentes moribus, et consvetudine invaluisse. Ita inter aliquas, sed non inter omnes. *Wolfius putat omnes gentes vivere in naturali democratia ita, ut, quod majori parti placet, hoc debeat etiam reliquis placere.* Figmentum est, nam non potest probari omnes gentes inter se pactum unionis celebrasse *Sed omnes gentes vivunt in societate absoluta*, Affirmative, sed haec non facto hominum, sed a natura est instituta, neque a populari, sed a Dei unius imperio pendet. *Vattelius provocat ad praesumtas conventiones ob mutuam necessitatem, et utilitatem.* Verum gentes in tales conventiones praesumuntur consentire vel ex lege naturali, vel non, si *primum*. obligabuntur eas servare

 si

non ex jure positivo, sed ex jure, gentium naturali, si *secundum*, valde erunt infirmae, contraria enim populi declaratione evanescent, nam praesumtio debet cedere veritati.

§ 208.

At datur jus gentium positivum particulare, quia possunt produci inter aliquas gentes inita specialia pacta, diversaque foedera, quia sunt consvetudines usu, et moribus inter Europae potissimum populos introductae, sic ut assidui habeantur legati, ut legatus Romani Imperatoris omnes alios antecedat, etc. Hoc autem studium pluribus indiget subsidiis, nimirum praeter jus naturae, jus publicum universale, et jus gentium naturale, haec enim sunt fundamenta omnium jurium, comparanda est notitia rerum publicarum, et historiae populorum, item faedera, sanctiones pacis, ceremoniae, observantiaeque regionum sunt penitius noscendae, quia ex his immediate deducitur jus gentium positivum particulare. Jurisprudentia vero gentium naturalis ideo potissimum discenda est, quia omnibus gentibus communis est, ex natura enim gentium derivatur, quia solae fere gentes vivunt in statu naturali, ergo etiam ex jure naturali sua negotia componere debent, quia ignorantia, et violatio hujus juris non uni tantum, alterive homini, sed integris societatibus infelicitatem, et ipsum interitum adferre potest. *Ceterum convenientia populorum*, seu ratio status cum jure gentium confundi non debet, quia illa non quid sit inter gentes

justum,

justum, sed quid sit alicui reipublicae utile, declarat, jam autem utile a justo multum distingvitur.

Puffendorfius, et Heineccius negant jus gentium positivum particulare posse dici jus, quod complexus pactorum non constituat leges, hae enim tantum a superiore feruntur. Sed male, nam lex in sensu lato est propositio enuntians obligationem, jam autem pacta pariunt obligationem perfectam.

Caput II.

De aequalitate gentium, aliisque cum eadem connexis juribus.

§ 209.

Non de physica, sed de morali gentium aequalitate nobis sermo est, quae in eo consistit, quod omnes gentes aequalia habeant jura naturalia, quia vivunt in statu naturali, in quo omnium jura sunt aequalia, quia jura gentium naturalia ex natura gentis deducuntur, natura autem omnium gentium est eadem. *Hinc* quidquid una gens in causis; aliarum gentium justum, vel injustum declarat, id quoque in suis causis justum, vel injustum agnoscere debet, quia jura gentium sunt aequalia. *Ex hac aequalitate quaelibet gens habet sequentia jura:* I. Quaelibet gens habet jus se, juraque sua conservandi, quia quaelibet persona moralis in statu naturali vivens habet jus se conservandi,

di; Quapropter quaelibet gens potest non tantum animo, corpori, bonis, rebusque singulorum civium ab internis, et externis injuriis praecavere, sed etiam efficere, ut unio civilis, forma reipublicae, leges fundamentales, jura majestatica, eorumque usus perdurent, atque illa omnia, quae vinculum civile dissolvere, et ita interitum sibi adferre possent, avertere, quia sic se, juraque sua conservabit, qui autem habet jus ad finem, habet etiam jus adhibendi media, et removendi impedimenta.

§ 210.

II. Quaelibet gens est ab arbitrio alterius gentis independens, quia in statu naturali quilibet habet libertatem a subjectione. *Hinc* potest suas actiones pro arbitrio determinare, dummodo neminem laedat, formam imperii, quae magis placet, eligere, eandem mutare, quia vi independentiae nemini tenetur factorum suorum rationes reddere. Est immunis ab *obsequio*, seu habitu alterius arbitrio convenienter vivendi, et *poena stricte tali*, seu malo cum actione libera a superiore connexo, quia in his terris neminem hominum habet superiorem. *Sed etiam* non potest gens cives alterius nationis seu in loco nullius, sive tertii deprehensos, aut eorum naves, vel merces suae jurisdictioni subjicere, quia etiam singuli cives eorumque res non dependent ab arbitrio alterius gentis. *Denique* potest sibi in suo territorio titulum sive imperato-

ris,

ris, sive Regis, sive Ducis pro lubitu assumere, quia potest actiones suas libere, ac nemine alio consulto determinare.

Equidem Aula romana Reges Hungariae Apostolicos, Galliae Christianissimos, Hispaniae Catholicos, Angliae Fidei defensores, Lusitamiae Fidelissimos nominavit. Verum hi tituli non proveniunt ex natura civitatis, neque ideo dati sunt, quasi imperantes civiles in rebus civilibus dependerent a Romano Pontifice, sed quia eidem qua Primati universae Ecclesiae in spiritualibus subjecti sunt, et ut fidem catholicam majori zelo tuerentur, et propagarent,

§ 211.

III. Quaelibet gens habet jus se perficiendi, quia tale jus habet quaelibet persona moralis. *Hinc* potest fovere bonas artes, et bonos mores, suam potentiam mediis licitis augere, suis civibus patrocinari, ne justa iis lucra intercludantur, consequenter potest res, si nullius sint, occupatione, si vero alicui propriae, modis derivativis acquirere, uti sunt pacta, commercia, hereditates, quia ista sunt media licita se perficiendi. IV. Inter gentes nulla datur naturalis praerogativa, aut praecedentia, quia haec cum aequalitate jurium componi non possunt, quia quilibet populus, quaecunque demum fuerit regiminis forma, eadem habet jura tam immanentia, quam transeuntia. Idem dicendum est de Imperantibus, quia hi vivunt inter se in statu naturali, suntque independentes.

Sed

Sed dices, aliae gentes sunt antiquiores, aliae artibus, et disciplinis magis deditae, apud alias purior viget religio, aliae sunt potentiores. Ita, sed haec tribuunt tantum meritum ad praerogativam adventitiam, non vero pariunt naturalem, nam jura naturalia eadem habet juvenis, et senex, doctus, et indoctus, gigas, et pygmaeus, pius, et impius, *deinde* nulla gens potest alteram vi externa cogere, ut suam religionem judicet esse puriorem, quia etiam in judicando quaelibet gens est independens ab arbitrio alterius, et alioquin coactio externa non cadit in intellectum. *Sed Dariesius, et Vattellius dicunt principem sedem esse prioritatem loci, quo, qui prius eum occupavit, non potest deturbari.* Omnino, sed haec praecedentia erit tantum facti, et quare non posset, cujusvis locus ut aequalis judicari, uti v. g. si rotundae mensae assideatur, vel eodem loco alternatim uti? *Sed Imperator romanorum prae aliis regibus habet praerogativam.* Ex pacto speciali *concedo*, ex natura civitatis, *nego.*

§ 212.

V. Quaelibet gens in extrema necessitate potest naves alienas arripere, detinere, iis uti, aut loca munita, seu fortalitia vicinorum occupare, accedere ad portus alienos pro aqua, et alimentis, sedes quaerere, si propriae sint vi ademtae, emere res necessarias; quia hoc est jus necessitatis naturale, jam autem genti omnia jura naturalia competunt, jus enim gentium naturale, est jus naturae ad negotia gentium, qua talium applicatum. *Verum hac in re observandum.* 1. Ut prius omnia media leniora adhibeantur, quia non licet adhibere du-

duriora media, quamdiu leniora sufficiunt. 2. Ut alter populus eadem necessitate haud prematur, quia in pari causa melior est conditio possidentis, et alioquin quamdiu jura sunt aequalia, unum altero efficacius esse non potest, atque eatenus necesse est omnia in eodem statu permanere. 3. Ut cessante necessitate plena fiat restitutio, quia juris hujus ratio sufficiens est necessitas, ergo cessante necessitate cessare debet etiam rationatum. *Conf. meam expl. jur nat. eth.* §. 143.

Caput III.

De gentium humanitate.

§ 213.

Gentium humanitas consistit in officiis gentium erga se imperfectis, seu in mutua perfectione: *Obligantur gentes se mutuo perficere*, quia quaelibet gens tenetur se perficere, sed nulla se sine auxilio aliarum perficere potest, nulla enim gens in medium proferri potest, cui non aliquando ab aliarum gentium rebus, vel operis saltem aliqua major perfectio adferatur, ergo se mutuo perficere obligantur. *Hinc* gentes debent esse comes, humanae, misericordes, et quidem non tantum erga amicas, sed etiam inimicas gentes, quia neminem licet odisse; Ideo fit, ut tam in prospe-

ris

ris rebus v. g. occasione nuptiarum, nativitatis, coronationis, pacis, vicini populi ac eorum rectores gaudium, quam in adversis, uti mortis, perduellionis, incendii, terrae motus dolorem sibi invicem testari consveverint, quia sic amorem internum signis externis declarant. Atque hanc amoris significationem exhibere tenentur gentes etiam hostilibus, et diversae religionis populis, quia officia humanitatis non in externis quibusdam qualitatibus, aut determinata religione, sed in ipsa gentium natura fundantur, quae apud omnes gentes eadem est.

§ 214.

In specie ex humanitate una gens alteri genti obligatur I. Veram religionem doctrina, et exemplo instillare, quia praeterquam quod contrariae in religione opiniones manifestum errorem, aut ignorantiam alterutrius gentis arguant, veritas enim tantum una est, perpetuis etiam litibus, atque odiis praebent occasionem, cum contra ex uniformi, rectaque divini cultus cognitione, novum quoddam, idque fortissimum societatis vinculum nascatur; Sed etiam ad hoc efficiendum gens duplici stringitur officio: *altero* erga supremum numen, hujus enim gloriam omnes gentes manifestare debent, *altero* erga alios homines, hos enim ab errore adeo pernicioso liberare verus amor est. *Hinc* collegium de propaganda vera religione institutum laudari satis nequit: At vituperari debet illorum impietas, qui quamcum-

que

que Deum colendi rationem putant esse idoneam, dummodo physica civitatis potentia inde accipiat incrementum, quia isti physicam perfectionem morali, et causam propriam praeferunt causae Dei.

Sunt quidem fortes rationes pro tolerantia religionum, Sed illae non probant toleratam religionem esse veram, ast vim, metum, ac coactionem ad tradendam veram religionem inepta esse media.

§ 215.

II. Scientias, et artes sibi communicare, et ideo si una gens ad alteram Geometras, Astronomos, Medicos, Historicos ableget, debet iis accessum, et cetera media ad optatum finem perveniendi concedere, ita olim Roma ex graecia materiam XII. tabularum accepit: quia hac ratione alterius gentis intellectum, et voluntatem perficit, studia enim litterarum, et ingenuae artes homines reddunt cultiores, atque mores solent emollire. III. Obligatur gens una alterius gentis gloriam, et existimationem promovere, atque efficere, ut ea, quae ad ejus necessitatem, utilitatem, aut etiam jucunditatem pertinent, facilius consequatur, quia sic statum ejus externum perficiet, status enim externi perfectio in aucta gentis existimatione, et gloria, rerumque omnium abundantia continetur. Et quidem gens una alteri non tantum ea praestare debet, quae accipienti sunt utilia, danti autem parum damnosa, v. g. consilium in dubio negotio, medicinam grassante morbo, operam pro pace concludenda

cludenda, sed etiam talia, quae nonnisi cum diminutione rerum propriarum tribui possunt, v. g. annonam penuria ingruente, militem, quo injustus hostis depellatur, quia utrumque ad perficiendum alium valet.

§ 216.

Atque haec gens una alteri debet praestare vel gratis, seu ex beneficentia, vel saltem ex contractu permutatorio, seu ex officiositate, quia ad humanitatem et beneficentia, et officiositas refertur. Plerumque tamen gentes ista sibi non gratis praestant, sed per commercium, quia nemo alteri jure perfecto aliquid gratis dare tenetur, si ille vicissim aliquid praestare possit, secus enim frustranea fuisset dominiorum introductio. *Est vero commercium longe utilissimum gentibus:* quia alias multarum rerum usu, quas vita humana desiderat, ob locorum distantiam deberent carere, non enim omnis fert omnia tellus. Quapropter debent 1 Emporia, nundinas, et portus constituere tutos, quo merces invehi, commodeque permutari sine magna mora possint. 2. Nominare *Consules,* seu personas, quae in emporiis, et portubus privilegia suae nationis custodiant, et lites inter mercatores ortas breviter, et sine magnis sumtibus definiant, quia haec sunt media commercium promovendi. 3. Non facile concedere *propolium*, seu privilegium emendi res invectas, antequam eas aliis emere liceat, aut *jus stapulae*, hoc est privi-

legium

legium sistendi merces in flumine publico, ut eas vendere, aut secus tributum praestare necesse sit. 4. Abrogare leges duras in peregrinos latas, nimiaque vectigalia, quia haec commercia impediunt, jam autem qui obligatur ad finem, debet adhibere media, et tollere impedimenta.

Dicet fortasse aliquis, a regulis politices alienum est, iis praebere auxilia, qui ea ad nostrum interitum convertere possunt. Ita, si nullus in praestatione beneficii servetur modus, ut si hostibus arma, aut annonam suppeditet, aut artem aptiora conflandi tormenta, sale condiendi pisces, aliaque arcana opificia statim prodat, cum graviore enim proprio incommodo aliis prodesse non obligamur, nam in conflictu minus malum praeferendum est majori.

§. 217.

Gens, quod uni genti praestat, id ipsum potest alteri sine injuria denegare, quia fieri potest, ut illud idem alteri nec posit praestare, aut nonisi cum graviore suo detrimento, *Deinde* in collatione beneficiorum ordo est tenendus, ut pari in causa ii, a quibus plura in nos sunt profecta beneficia, ceteris praeferantur, quia pro istis militat, etiam gratitudinis, adeoque composita, et fortior obligatio. *Hinc* cujusvis populi judicio, relinquendum est, an, et quomodo valeat aliis opem ferre, v. g. an arbitri munus inter duos belligerantes possit suscipere, quia ille optime novit suas circumstantias: Quapropter, si commercia sint pacto speciali inita, ab iis pro libitu recedere non licet, quia pacta servari

vari debent, sin minus, tunc potest ea gens vel prosequi, vel restringere, vel mutare, vel etiam penitus tollere, quia cujusvis gentis judicio debet relinqui, an, et quomodo velit aliis opem ferre; Quia fieri posset, ut merces aequo pretio emi, vel vendi nequeant, vel ut res, aut personae morbo pestilenti sint infectae, quo in casu aut in finibus territorii 30, vel 40, dierum mora possunt detineri, aut plane arceri; quia nemo cum graviore suo detrimento alteri prodesse tenetur.

§ 218.

IV. Denique ex humanitate obligatur gens negotia in alieno territorio gesta in suo quoque pro firmis, et validis agnoscere, v. g. jura nobilitatis, majorennitatis, uti etiam testamenta, matrimonia, si legibus loci, in quo celebrantur, sint accommodata, quia hoc etiam pertinet ad perfectionem status externi, quia secus alia gens utetur jure retorsionis, quae res commercia, atque amicitias civitatum mirum quantum perturbare posset. *Nisi negotia in alieno territorio gesta propriis abversarentur legibus*, v. g. si civibus cum peregrina nuptiae prohiberentur, quia talis actus, utpote sine jure positus, est nullus.

Wolfius putat simpliciter omne testamentum judiciale apud unam gentem factum, ab alia quoque esse admittendum, quod ea debeat nostram jurisdictionem agnoscere. Verum gentis jurisdictio in suo valet territorio, non extra illud.

§ 219.

§ 219.

Ad officia quidem humanitatis nulla gens cogi potest, quia ad officia imperfecta non datur coactio: Observari tamen debent, quia cum eorum custodia multae sunt connexae utilitates: *amicitia, commercium, auxilium*, contra transgressoribus non levia ab aliis populis imminent incommoda: *jus retorsionis, simultates, odium, et ipsum bellum.* Possunt autem haec officia etiam perfecta fieri, si vel summa ingruat necessitas, vel pactum accedat, quia tunc non jam in merito, sed in suo gentis habebunt rationem sufficientem.

Dariesius negat dari officia imperfecta inter gentes, quod gens non qua gens, sed qua homo tantum debeat alias gentes amare. Sed jura gentium coalescunt ex juribus singulorum: *Dein* plura dantur officia imperfecta, quae nec cadunt in singularem hominem, v. g. acta in alieno territorio ratihabere, justo cum exercitu venire in auxilium.

Caput IV.

De justitia gentium absoluta.

§ 220.

Justitia gentium consistit in non laedendis aliis gentibus, est autem alia *absoluta*, quae ex natura gentium absque ullo facto intelligitur, v. g Gentis alterius suum non violare, alia *hypothetica*, quae accedente primum facto cognoscitur, v.

g. foedera observare. Dantur officia justitiae inter gentes, quia dantur inter singulos, ergo etiam inter gentes, jura enim, et officia naturalia gentium ex juribus, et officiis singulorum coalescunt. *Hinc* quae gens haec officia violat, injusta est, ergo laedit, ergo contra eam datur jus cogendi. Sunt vero in specie injustae gentes I. Quae de aliarum aequalitate, et independentia, vel alio quodam jure majestatico quidpiam detrahere conantur, quae legitimam imperii formam a populo electam mutare, aut evertere student, quae territorium turbant alienum, quae externorum civium personas, aut etiam res violant, quia ista omnia ad suum gentis spectant, qui autem suum alterius violat, injustus est. II. Quae aliquid in contemptum, aut contumeliam alterius gentis moliuntur, vel absque speciali pacto peculiares titulos, atque honores praetendunt, quia bonam alterius existimationem, et independentiam violant

Forte dices a qualibet gente posse titulum, qui placet, assumi. Omnino pro suo territorio, sed non pro alieno praesertim praetensive.

§ 221.

III. Injustae sunt gentes, quae exterorum negotiis ita se immiscent, ut de iisdem judicium affectent, v. g. proprium Dei colendi modum aliis vi obtrudendo, vel alienorum subditorum contumaciam re, opera, aut consilio sustentando, vel alteri populo qualitates Regis eligendi praescribendo; quia

tale

tale judicium violat aequalitatem, atque imdependentiam gentium. IV. Quae invita altera gente in ejus territorio possessiones capiunt, milites conducunt, foeminas matrimonii causa abducunt, quia ista sunt in τω suo gentis, cujus violatio injustitia est. V Quae alteram gentem impediunt, ne cum extraneis commercia excolat, vel ne ab amicis obtineat auxilia, vel ne modis licitis suam possit augere potentiam, quia is etiam laedit, qui alterum in exercitio sui juris impedit.

§ 222.

Ast illa gens injusta dici non potest, quae cum hac potius, quam cum illa gente exercet commercium, quae propriis mercibus majus statuit pretium, quam eas comparare volentibus aequum esse videatur, quae denique ab actibus, v. g. a collatione novi tituli, quos uni civitati concedit, alteram sine contumelia excludit, quia hoc jure suo facit, nempe libertatis naturalis, talis autem neminem laedit, ergo nec injustitiae argui potest.

Caput V.

De juribus gentium circa dominia, et proprietatem.

§ 223.

Datur etiam inter gentes dominium rerum, quia datur inter singulares personas, jam autem gentes

 utun-

utuntur jure singularum personarum. *Deinde* jure naturali hypothetico datur rerum dominium tam modo originario, quam derivativo, atqui jus gentium est jus naturae ad negotia gentium qua talium applicatum. *Denique* constat gentes territorium suum possidere, omnem inde utilitatem percipere, ac de eodem pro arbitrio disponere posse, quod dominium est.

Forte putas rerum dominium sine consensu aliarum Gentium non potuisse induci, talem autem consensum non posse probari, Sed qui jure suo utitur, non eget consensu alterius, ita olim quilibet homo potuit occupare res citra consensum alterius. *Hinc perperam Bynkershoek, et Gribnerus originem dominii juri civili adscribunt.* Quia poterant homines occupare res nullius, antequam in civitatem intrassent. *Sed sola possessio physica non tribuit dominium.* Affirmative, immo inane foret dominium, si illud a perpetua detentione physica rei cujuslibet penderet, multarum enim rerum non posset haberi usus. At licet dominium corpore, et animo acquiratur, solo tamen animo retineri poterit, possessio enim juridica a physica separabilis est, nam dominus rei suae dominio se sive toto, pro parte abdicare potest.

§ 224.

Et quidem gentes dominium rerum modo originario acquirunt, si rem nullius, actu physico, et animo sibi habendi apprehendant, quia ista requiruntur ad occupationem, quae est modus originarius dominium acquirendi. Res tamen, quae a gen-

te occupantur, non fiunt immediate singulorum propriae, sed sunt tamdiu in communione positiva, seu condominio omnium, donec vel in minores societates, vel in singulos cives certae portiones distribuantur, quia occupatio facta est per singulos simul sumtos. *Hinc* aliae res sunt *communes*, quae sunt in communione positiva, aliae *publicae*, quae sunt in dominio populi, aliae *universitatis*, quae sunt in dominio minoris alicujus societatis, aliae *singulorum*, quae sunt in dominio singularis cujusdam personae. Sicut autem res publicae posunt fieri singulorum, ita vicissim res singulorum possunt esse publicae, quia quilibet dominus de re sua potest pro arbitrio disponere.

§ 225.

Gens in occupato a se territorio acquirit generale dominium rerum omnium ad territorium pertinentium, adeoque quidquid supra, vel infra terram est, sive id *natura* proveniat, uti sunt montes, sylvae, pascua, fluvii, lacus, ferae, metalla etc. sive *industria* producatur, uti domus, arces, villae, oppida, urbes, etc. id omne proprium est totius gentis ita, ut illa invita alter nec res jacentes occupare, nec in territorio morari, immo nec illud ingredi ausit, quia tale dominium acquirit quilibet homo in occupato fundo, atque iste est effectus dominii, ut dominus de re sua possit cum exclusione aliorum disponere.

Sam. Coccejus dicit esse figmentum tale dominium, quod possessio physica ratione totius regionis deficiat.

 Sed

Sed neque Patrifamilias ad occupandum fundum opus est, ut singulas glebas circumambulet, dummodo ponat limites, jam autem gens vel limitibus naturalibus, quales sunt montes, fluvii, vel artificialibus, quo pertinent leucae, pedes, occupatum territorium circumscribit. *Grotius autem putat solum vacuum, et sterile non esse occupatum, quod non excolatur.* Verum hoc potest inservire vel pascendis gregibus, vel avertendis hostium incursionibus: Estque pars territorii, jam autem qui totum occupavit, recte censetur etiam partem occupasse. *Sed ad minimum ferae ex alterius territorio transeuntes non sunt in dominio gentis.* Negatur, nam naturaliter accedunt, suntque incertae originis, jam autem naturalis accessio incertae originis est primi occupantis.

§ 226.

Interim I. Loca ab alio populo, vel etiam familiis segregibus inhabitata, etiamsi illae stupidae, proprietate abutentes, nullius humanitatis, et religionis forent, non possunt occupari, quia non sunt nullius, occupari autem possunt tantum res nullius. II. Non potest occupare gens fundos cultura, et cura, omnique alio usu vastiores, et multo minus oceanum, quia res inexhausti usus, et quae custodiri nequeunt, occupari non possunt. *Hoc tamen* de portubus, littoribus, fretis minoribus, alisque partibus maris, quae territoria populorum alluunt non valet, quia haec et usui esse possunt, v. g. capiendis piscibus, margaritis, corallis, faciendoque sali; et vicinis classibus, atque tormentis custodiri; III. Ad occupationem non sufficit ali-

quid

quid vidisse tantum, aut scire, ubi illud sit, aut medio non idoneo apprehendere; quare si gens una insulam vacuam detegeret, aut etiam grandioris tormenti globum in illam vibraret, altera vero eamdem ingrederetur animo sibi habendi, hujus, non illius insula fieret propria, quia ad occupationem requiritur factum sufficiens rem in vires physicas redigendi.

§ 227.

Occupata regione non etiam occupatur imperium in homines ibidem per loca deserta vagantes, quia homines nec sunt res, nec nullius, sed personae sui juris. *Hinc*, si nulli homines segreges in terris occupatis reperiantur, tunc gens non tam novum occupat imperium, quam potius vim antiqui in eos extendit, qui provincias ita acquisitas sive perpetuae habitationis causa, sive tantum ad tempus accedunt: quia gens vi dominii, et juris territorialis potestatem habet omnes ab aditu rei suae excludendi, consequenter nemini ingressum ad suas terras aliter concedere intelligitur, quam si primo legibus negativis de non nocendo civitati generatim, dein etiam legibus affirmativis, quae expresse in advenas feruntur, morem gerat, ergo qui alienum territorium intrant, his legibus se tacite subjiciunt, ergo ab imperio, et jurisdictione domini territorialis pro tempore commorationis pendent.

§ 228.

§ 228.

Ex quo conficitur I. Ut imperans possit causas advenarum controversas cognoscere, et decidere, quia advenae sunt subditi temporarii, sed subditorum causas imperans potest cognoscere, et decidere. Atque ejus sententia in peregrinos lata justa praesumi debet, quia ab eo lata sententia, qui eam ferendi jus habet, praesumi debet justa ob jus connatum bonae existimationis. II. Ut delinquens in alieno territorio possit ea poena affici, quae in foro delicti obtinet, quia sub ea conditione censetur esse admissus. III. Ut jus albinagii humanitati quidem gentium repugnet, quia impedit commercia; non tamen justitiae, quia peregrini scientes in aliquo regno tale jus vigere, intrando illud, eidem oneri se subjiciunt.

Non opponas autem: injustam esse actionem latronis, qua peregrino res aufert. Quia latro invito aufert, imperans autem volenti, jam autem in juribus permissivis volenti non fit injuria.

§. 229.

Modi derivativi acquirendi inter gentes sunt: *alienationes, oppignorationes, servitutes, testamenta*, quia gentes rerum suarum habent dominium, ergo de illis possunt pro libitu disponere, ergo in alias gentes suum dominium transferre, quod est modus derivativus acquirendi, huc tamen non pertinet usucapio, quia gentes vivunt inter se in statu naturali, in quo usucapio locum non

habet

habet. Interea gentes in pari causa, dum nimirum jus ex utraque parte dubium est, sufficienter se tuentur vel vi dominii putativi, vel possessionis immemorialis, quia sunt bonae fidei possessores. Ceterum optandum foret, ut inter gentes arbitraria quaedam usucapio statueretur, quia negata usucapione praetensiones gentium majorem vim obtinent, ac firmitatem ita, ut saepe in mutuas caedes, et apertum bellum erumpant, jam autem harum rerum causam tollere pro felicitate humani generis optandum est. *Conf. meam expl. jur. nat. eth.* §. 161.

Caput VI.

De officiis inter gentes, quae utilitatis sunt innoxiae.

§ 230.

Officia innoxiae utilitatis inter gentes sunt, quae sine diminutione τοῦ sui gentis praestantur, adeoque genti, quae praestat, non sunt noxia, illi autem, cui praestantur, sunt utilia, alia sunt *affirmativa,* quae in agendo, alia *negativa,* quae in patiendo consistunt: Ad officia affirmativa praestanda nulla gens potest cogi, potest autem ad negativa, quia haec officiis perfectis, illa imperfectis accensentur: *Vide jur. nat. eth.* §. 121. jus enim gentium est jus naturae ad negotia gentium qua talium applicatum. *Interim* circa officia innoxiae utili-

utilitatis negativa duae plerumque nascuntur facti quaestiones: *primum*, an alterius desiderio sola patientia satisfiat, *deinde* an non hanc patientiam multa, aeque gravia incommoda consequantur, quorum si alterutrum eveniat, cessant esse officia innoxiae utilitatis; sic officium innoxiae utilitatis negativum est, si extranei veluti studiosi, artifices, aut mercatores per vias, fluvios publicos tantum transeant, sed si sint exploratores, aut merces ferant vel vetitas, vel contagiosas, tunc profecto eos per territorium transire pati non erit officium innoxiae utilitatis.

§ 231.

Quapropter hac in re ista cautela est observanda: Ut gens non prius judicet sibi impedimentum poni in exercitio libertatis naturalis, quam altera gens nudae patientiae officium rogata, illud nulla adducta probabili causa denegaverit, quia saepe noxia sunt genti, quae altera innoxia esse putat.

Dices forte, non obligari gentem ad dandam rationem denegatorum innoxiae utilitatis officiorum. Sed male judicas, nam haec officia natura sua sunt innoxia, et nonnisi ob incidentes circumstantias possunt esse noxia, jam autem omne naturale tamdiu praesumitur, donec probetur contrarium, ergo nisi gens haec officia denegans probet sibi esse noxia, alteram laedit, quod non licet etiam in statu independentiae. *Sed si genti navis reparatio, vel alimenta essent necessaria, possent gratis, et cum detrimento alterius gentis vindicari, ergo etiam officia innoxiae utilitatis.* Disparitas est,

nam

nam in primo casu confligunt officia necessitatis erga se cum officiis utilitatis erga aliam gentem, in secundo autem propria commoditas cum detrimento alterius gentis, jam licet propria necessitas possit praeferri alterius utilitati, non tamen propria commoditas detrimento alterius.

§ 232.

Hinc I. Non est injusta gens, quae exercitui, qui vel novas quaerit sedes, vel contra injustum hostem movetur, transitum per suum territorium denegat, nisi omnimodam praestaret securitatem, quia alias non est officium innoxiae utilitatis, nam 1. talis armata multitudo consumit annonam in alieno territorio, unde potest caristia oriri. 2. etiamsi annonam secumferat, potest tamen tumultus excitare. Atque 3. licet id ob jus connatum bonae existimationis non praesumamus, fieri tamen potest, ut hostis exercitum transeuntem praeveniat, et in alieno territorio theatrum belli excitet, quae omnia noxia sunt.

Neque hisce adversatur, *quod ajunt*, *jus unius alterius metu haud infirmari:* dein *vias publicas in communione primaeva permansisse.* Nam imprimis jus, quod in utilitate innoxia fundatur, evanescere debet, utprimum utilitas noxia evadit, atque metus iste non est vanus, sed probabilis, et conjunctus cum vera collisione officiorum erga se, et erga alios. Deinde communio viarum est commentum, quia gens occupando territorium occupavit etiam vias publicas, utpote partem.

§ 233.

§ 233.

II. Non est injusta gens, quae domo ejectis domicilium denegat, quia non est officium innoxiae utilitatis, ab illis enim imminet periculum cum ob malitiam ejecti sint. III. Non est injusta gens, quae advenis solum desertum, ac sterile non concedit, quia non est officium innoxiae utilitatis, non enim fit sine diminutione rerum. IV. Non est injusta gens, quae peregrinis inopia feminarum laborantibus connubia cum suis denegat, quia hoc etiam fit cum diminutione juris, quod civitas in feminas habet, Et si Rex Regi, civis concivi vi libertatis naturalis filiam negare potest in matrimonium, etiam gens genti; Accedit aequalem fere nasci numerum marium, et feminarum, ergo si harum major copia ex regno extraheretur, multi ex propriis subditis sine uxoribus esse deberent, quod noxium est impopulationi.

Et quamquam improba necessitas jus quaerendae habitationis tribuat, nuptias tamen armata manu expetere non licet, Quia se conservare absoluta est obligatio, non vero matrimonium inire, Raptus praeterea repugnat mutuo amori, quo nuptiae conciliari debent, *Sed saltem consentientes feminas rapere licebit.* Nequaquam, nam feminae in raptum consentire nequeunt ob subjectionem, qua civitati suae adstringuntur.

§ 234.

V. Etsi denique gentes non sint injustae, quae peregrinos secluso statu necessitatis in suum territo-

rium

non recipiunt, peccant tamen contra humanitatem, quia illos non perficiunt; At tunc nec inhumanitatis argui possunt, quando angustum habent territorium, vel a religionis diversitate turbas metuunt, vel si ignava foret multitudo, aut perfida, quae abuti beneficio, et ipsos antiquos habitatores expellere posset, quia nemo tenetur humanitatem cum graviore suo detrimento exercere.

Caput VII.

De conventis, et sponsionibus publicis.

§ 235.

Conventa publica sunt pacta inter gentes, vel earum Rectores qua tales inita. *Utilia sunt*, quia licet quaelibet gens alteram perficere etiam absque pacto obligetur, haec tamen obligatio tantum imperfecta est; conventa autem perfectam pariunt obligationem: Sed probe secerni debent a privatis conventis, quae nimirum civis cum cive, aut cum populo externo, vel imperantes inter se ineunt in negotiis privatis, v. g. si filia a rege alteri regi despondeatur, quamquam etiam haec eo sensu *publica* dici possunt, quatenus ad totum populum pertinet omnes a suis civibus injurias praecavere. Conventa publica vel sunt *pactiones*, seu conventa publica, quae ad singularem tantum, et transito-

sitoriam praestationem tendunt, vel *faedera*, seu conventa publica, quae obligationem quamdam durabilem, et specialem societatem inter duas, vel plures gentes stabiliunt. *Pactionum innumerae propemodum sunt species*, quia singulares, et transitoriae praestationes fere infinitae sunt, casus enim particulares sine fine cogitari possunt. Omnes autem servandae sunt, quia sunt pacta, quae servari debent.

§ 236.

Faedera autem vel sunt *simplicis amicitiae*, quae id constituunt, quod jam antea juris erat naturalis, v. g. pactum de non laedendo; haec a nonnullis pudenda vocantur, quod aliquam infamiam habeat, id pacto promittere, ad quod etiam sine pacto perfecta datur obligatio: Utiliter tamen ineuntur cum hostibus, et iis, qui peregrinos hostium loco habent, quia tales si non sanctimonia legis naturalis, ad minimum pudor perfidiae a laesione deterret; vel *arctioris cujusdam conjunctionis*, quae naturalibus officiis aliquid superaddunt; v. g. pactum de vectigali pro mercibus non solvendo, vel non ultra certam quantitatem, vel ut delinquentes mutuo extradentur, ut mutua sit inter duas gentes successio, ut certus equitum, peditum, vel navium numerus ducatur contra communem hostem, etc. Haec non sunt pudenda, quia non est pudor id pacto promittere, ad quod naturalis saltem perfecta non existit obligatio.

§ 237.

§ 237.

Foedera arctioris conjunctionis vel sunt *aequalia*, in quibus gentes vel eadem, vel aequipollentia sibi mutuo promittunt, vel *inaequalia*, in quibus gentes nec eadem, nec aequipollentia sibi promittunt: Haec vero inaequalitas quadrupliciter fieri potest 1. *ratione praestationis*, si ex una parte plus promittatur, quam ex altera. 2. *ratione honoris*, si una gens promittat se alterius majestatem comiter, id est, cum veneratione conservaturam. 3. *ratione libertatis*, si una gens in gratiam alterius juri cuidam permissivo renuntiet, v. g. quod velit moenia diruere, navigatione abstinere, certam gentem bello non aggredi. 4. *ratione imperii*, si ita sit conventum, ut pars quaedam potentialis imperii, vel ejus exercitium a consensu alterius gentis dependens efficiatur: veluti ne bellum cuiquam facere, vel copias conscribere liceat injussu alterius gentis. Tale faedus imminuit majestatem, quia, in primo casu imperium fit minus plenum, in altero limitatum: At reliqua nihil imminuunt de imperio, nullam enim involvunt dependentiam.

§ 238.

Porro aliqua foedera sunt *realia*, quae etiam ad successores transeunt, aliqua *personalia*, quae tantum ad dies vitae paciscentium durant. Et quidem in dubio omnia foedera prasumenda sunt esse realia, quia tendere debent ad utilitatem pu-

publicam, quae extincto monarcha non extingvitur, nisi contrarium appareat vel ex *verbis*, ut si foedus ad dies vitae principis ineatur, vel ex *causa contrahentium*, ut si militare imperium senior, vel peritior foederatus obtineat, vel ex *natura negotii*, ut si tutelae gestio promittatur, quia personales qualitates personam non egrediuntur. Attamen propterea non est personale foedus, quod nomina paciscentium monarcharum sint inserta, quia hoc ideo fit, ut constet inter quos sit foedus initum; Sed nec ideo personale efficitur foedus, quod ad tempus, v. g. ad quinquaginta annos, vel ad certum reipublicae statum sit restrictum, quia in utraque specie obligatio ad successores imperantes etiam plures transire potest, tale autem foedus est reale.

§ 239.

Omnis autem generis foedera legitime inita sancte sunt servanda, quia sunt conventorum publicorum species, ergo pacta, sed pacta servari debent; deinde, violatio foederum multis, id est communi gentium saluti adversatur, ergo gravis laesio est, atqui laedere non licet. Si ad foedera inaequalia, irrepsit error, vel dolus substantialis, sunt nulla, quia pacta in tali errore inita sunt nulla; si vero error fuit tantum accidentalis, valent, quia pacta in errore accidentali inita valida sunt. Illi tamen error nocet, qui est illius causa, quia qui est causa causae, est etiam causa causati. Quodsi

si in foederibus inaequalibus nullus intercessit dolus, nulla competit restitutio praetextu laesionis, quia reipsa nulla est laesio, plures enim possunt subesse justae causae, ob quas ab aequalitate recedatur.

Equidem ad mutua gentium officia pertinet, ut aequitatis habeatur ratio in foederibus. Sed aequa sunt foedera etiam inaequalia, quae mutuo consensu fiunt, sicut naturaliter justum, et aequum est pretium, quod communi consensu paciscentium introducitur, *Deinde* non requiritur physica semper aequalitas, sed sufficit moralis, moraliter autem aequalia sunt, quae paciscentes talia judicant.

§ 240.

Si de foederibus dubium oriatur, illa juxta regulas de interpretatione pactorum datas *in jur. nat. eth.* §. 204. explicanda sunt, quia foedera sunt pacta. Sic v. g. foedus, ne populo bellum inscio altero facere liceat, necessariam defensionem haud excludit, quia sequeretur absurdum, videlicet interitus populi: Et alioquin per bellum simpliciter prolatum intelligitur bellum offensivum. *Vel* si bellum contra alterius socios susceptum non iri promitatur, praesentes intelliguntur socii, non futuri, quia verba debent substratae materiae esse conformia. Foedera possunt etiam tacite iniri sicut alia pacta, et ideo quae natura insunt conditiones foederibus, observari debent, quia ea est vis pacti taciti, quae expressi: Ita qui promisit auxilia, sed habet domi suae hostem, ea praestare non

tene-

tenetur, Et petens colloquium, hoc ipso etiam pollicetur id collocutoribus fore innoxium, quia hae conditiones sunt naturales, alias absurdum sequeretur.

§ 241.

In concursu plurium foederum potissimum bellicorum, si omnibus satisfieri nequeat, illi genti sunt prius praestanda auxilia, quae prius foedus inivit, quia qui prior tempore, est potior jure. *Nisi forte* illa gens gereret bellum manifeste injustum quia injustum hostem adjuvare non licet. Qui tamen foedus init secundum, et prius ei contrarium dissimulat, tenebitur indemnitatem laeso praestare, quia egit dolo, ergo laesit, atqui laedens tenetur damnum reparare. Si vero ex duabus gentibus foederatis nulla habeat temporis praerogativam, tunc si bellum gerant contra extraneum, utrique simul imploranti pro rata danda sunt auxilia, quia sunt promissa; sed si se foederati invicem bello lacessant, neutri in causis dubiis possunt dari auxilia, quia secus ejusdem gentis copiae contra se pugnarent, quod pacto unionis primo adversatur.

§ 242.

Licitum est foedera inire cum gentibus etiam diversae religionis, et quidem non tantum nudae amicitiae, et commerciorum, sed etiam bellica propter salutem publicam, quia foedera sunt jure naturae licita, sunt enim pacta de re honesta, nempe ut a laesionibus abstineatur, vel ut se gentes

mutuo

mutuo defendant, atque perficiant, jam autem quod jure naturae licitum est, id sine discrimine religionis cum quocunque licet inire, juris enim naturalis omnes homines capaces sunt. *Deinde* Certum est christiano privato licitum esse implorare officium judicis, aut socii infidelis contra debitorem, aut latronem christianum, ergo etiam gentibus. *Denique* hoc in sacris litteris est plene permissum: Sic Judas Machabaeus cum romanis foedus pepigit. I. *Mach. c.* 8. *et* 12.

Frustra allegas in contrarium leges divinas positivas, aut Bullas Pontificum romanorum. Quia hae sonant de foederibus ob externas causas illicitis, uti si fierent in contumeliam Dei, vel detrimentum verae religionis.

§ 243.

Foedera confirmantur et *modis communibus,* quibus confirmantur pacta, uti est juramentum, pignus, fidejussio etc. quia foedera sunt pacta; et *modis propriis*, uti sunt Obsides, et gvarantia. *Obsides* sunt personae, quae consensu unius imperantis in alterum transferuntur, ut ibi resideant quasi pignus in securitatem rerum praestandarum: Ex qua definitione sequitur 1. In obsidum datione non vitam, sed libertatem tantum obsidis oppignorari, quia obsides dantur vi juris eminentis, quod se ad vitam innocentis non extendit. 2. veri nominis obsides non dari nisi ab imperante, quia huic soli competit jus eminens. 3. posse dari tantum subditos, eosque etiam invitos, quia in subditos,

licet invitos datur jus eminens. *Hinc* obsides possunt dari feminae, et clerici, quia sunt subditi, non tamen peregrini inviti, quia tantum ad actiones negativas obligantur: Sed etiam personae, quae vi, et armis abducuntur in securitatem contributionum mancipii magis, quam obsidis jure censentur, quia non dantur consensu imperantis. 4. Obses etiam invitus fugere non potest, quia secus non haberetur securitas fidei, ob quam datus est; *Hinc* obses potest in honesta custodia detineri, quia datus est quasi pignus in securitatem rerum praestandarum: Neque eum aufugientem recipere suae civitati licet, quia ageret contra pactum. 5. Obses tamen non fit statim servus, quia datus est tantum in securitatem quasi pignus, jam autem pignore uti non licet; *Nisi* gens obsidem dans fidem interpositam non impleret, quia sub hac conditione ejus libertas fuit oppignorata: Sed etiam tunc ejus bona non possunt in fiscum redigi, quia non ejus bona, sed tantum libertas fuit oppignorata, *Nisi* ipse pro sua gente fidejusisset, vel expromisisset, quia tunc evadit debitor ita, ut haec obligatio etiam ad ejus heredes transeat, quia heres succedit in omnibus realibus obligationibus defuncti. 6. Obses causa, ob quam datus est, impleta, in aliam retineri non potest, quia etiam pignus soluto debito primo restitui debet. Et calamitosa foret conditio obsidis, si tamdiu deberet in custodia detineri.

Neque

Neque dicas legem esse juris civilis romani: Pignus ex una causa datum ob aliud debitum retineri posse. Quia jus romanum non est jus naturae, Et licet jure naturae detur pignus quoddam naturale in omnibus bonis debitoris, illud tamen indeterminatum est. *Denique* dato non concesso: disparitas est, denegata pignoris restitutio nocet soli debitori, ast incommoda esset nova haec detentio obsidi, qui eatenus fidejussori potius comparandus est, habetque beneficium ordinis.

§ 244.

Gvarantia est promissio adjectitia, quam populus extraneus uni, vel utrique contrahentium facit, fidem datam servatum iri: qui talem promissionem adjicit, vocatur *gvarandus.* Iste obligatur auxilium bellicum praestare contra gentem foedus violantem, quia promisit fidem datam servatum iri, quod si lenioribus mediis non possit, tenetur bello efficere, secus violatae fidei reus evaderet; *sed non ante* obligatur dare auxilia bellica, quam fuerint implorata, quia fieri potest, ut gens laesa iis non indigeat, vel plane reparationem suae laesionis intermittere velit. *Sic etiam* non obligatur dare auxilium in aliis causis, aut contra alias personas, quia nemo aliter obligatur ex pacto, quam se obligatum velle declaraverit, atque res inter alios actae aliis non possunt praejudicare. Differt autem gvarantia a *foedere defensivo,* quod hoc per se possit subsistere, illa vero semper aliud praecesisse foedus supponat; item a *fidejus-*

 sione,

sione, quod in hac solutio, in gvarantia autem auxilium bellicum promittatur. Hoc tamen commune est omnibus hisce conventis, quod etiam eo inconsulto, de cujus fide metuitur, celebrari possint, quia vi libertatis naturalis quilibet cum quocunque altero etiam non consulto potest pacisci, dummodo per id huic non noceatur.

§ 245.

Cessant foedera *generatim*, remissione, mutuo dissensu, lapsu temporis, promissione impleta, atque ob alterius perfidiam, quia his modis cessant pacta, foedera autem sunt pacta. *Speciatim* vero desinunt *personalia* morte personae, quia ad dies ejus vitae erant restricta; *realia* autem interitu populi, quia tunc ad successores obligatio transire non potest. Non cessat tamen foedus reale mutata regiminis forma, aut mutato rectore, quia propterea idem manet populus: *Nisi* sub hac conditione fuisset initum, quia deficiente conditione deficit conditionatum. Sed nec gens tertia potest remittere obligationem foederis, quia nemini invito jus suum auferri potest, *Nisi* in gentem creditricem haberet imperium, quia imperans habet jus disponendi de actionibus subjectorum. Denique foedera obligant ex justitia etiam sine juramento, quia sunt pacta, quae per se producunt obligationem justitiae. Hinc romanus Pontifex frustra dispensaret in vinculo religionis, quia foedera obligant etiam sine juramento, sed nec habet potesta-

tem

tem relaxandi, quia talis relaxatio involvit dispositionem de juribus publicis, et profanis liberarum gentium, adeoque earum summitati, ac independentiae adversatur, *Conf. L. B. de Ickstatt elem. jur. gent. L.* 3. *c.* 4. Verum solae gentes illud relaxare possunt, quia in foro naturali, ubi nullus est superior, ii tantum relaxant juramentum, quorum est vinculum justitiae remittere, cessante enim obligatione justitiae, obligatio quoque religionis cessat, nam juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur.

§ 246.

Si Rex a sua natione expellatur, illeque, aut ejus antecessores sibi pro hoc casu stipulati sint auxilia, tunc gens foederata tenetur ex justitia praestare auxilia, quia adest casu foederis, foedera autem debent ex justitia impleri: *Quodsi* autem promissa sint auxilia tantum contra extraneos, in casu ejecti regis ex justitia praestari non debent, quia non adest casus foederis, *Si denique* nihil horum declaratum sit, sed tantum in genere promissa auxilia, tunc etiam gens foederata regi ejecto succurrere obligatione perfecta non tenetur, quia sic tantum opem suam pollicita est, ut vires suas cum viribus illius conjungeret, in hoc vero casu deberet contra easdem vires vel omnes, vel majorem partem dimicare, Licet illi tamen ex humanitate suppetias ferre, quia populi regem dejicientis causa est injusta, jam autem alteri contra vim injustam succurrere licet.

Coc-

Coccejus quidem dicit: foedus initum esse cum capite et membris, ergo nec regem, nec subditos posse adjuvari, sicut, si duo foederati inter se decertarent. Verum jus foederum, utpote jus majestaticum non subditis, sed monarchae competit; Paritas autem fallit de foederatis, si unius causa sit manifeste injusta, qualis est subditorum regem suum dethronizantium. *Ergo etiam ex justitia debet adjuvari ejectus rex, licet auxilia fuerint tantum in genere promissa, jus enim regni manet penes ejectum.* Nego, quia non est casus foederis, nam vires unius cum viribus alterius haud conjungerentur.

§ 247.

Sponsio publica est conventum a ministris civitatis de rebus ad eandem pertinentibus sed sine ullo mandato imperantis initum. *Sponsiones* non obligant imperantem, quia nemo alterum invitum pactis obligare potest. *Hinc* 1. si gens sponsionem faciens damnum sentiat, propterea gens altera non tenetur ex justitia rem reponere ad eum statum, in quo erat ante sponsionem, quia non est causa moralis damni: Lucrum tamen, quod spe ratihabitionis ex re alterius perceptum est, non secuta ratihabitione ex justitia naturali restitui debet, quia non licet cum damno alterius locupletari; Sic etiam gentes ex aequitate sponsionem non iniquam approbare tenentur, quia se mutuo perficere obligantur: 2. Quae ministri gerunt intra fines mandati saltem taciti, non sunt sponsiones, sed conventa publica, quia fiunt cum consensu imperantis. Contra si imperans conventionem faceret legibus funda-

damentalibus adversam, illa naturam sponsionis induceret, quia foret sine ratihabitione populi. Sponsorum publicorum istae sunt obligationes: I. Si tantum promiserunt ratihabendas suas sponsiones, obligantur omnem adhibere industriam, ne improbentur, quia qui promittit factum tertii, satisfacit suae obligationi, si de illo impetrando agat efficaciter. II. Si vero diserte polliciti sunt rem ratam habitum iri, vel plane callido consilio deceperunt alterum, praeseferendo potestatem publico nomine contrahendi, tunc si certa pactitia poena fuit adjecta, ad illam praestandam, si vero nulla fuit adjecta, ad omne damnum vel proprio aere, vel si hoc non sufficiat, etiam servitute reparare tenentur, quia culpose, vel dolose agendo alterum laeserunt, jam autem laedens omni possibili modo damnum reparare obligatur.

Caput VIII.

De Legationibus.

§ 248.

Necessarii sunt legati inter gentes, quia debent saepissime inter se agere de foederibus, commercio, aliisque humanitatis, et justitiae officiis, ista autem nonnisi per legatos possunt confici, nam litteris agere res est plena ambagibus, colloquia vero cum singulis instituere inter imperantes gravibus

laborat

laborat incommodis, inter ipsas autem gentes est impossibile. *Legati* sunt personae, quibus tanquam subditis gentes sua negotia cum aliis gentibus coram, et solemniter gerenda committunt. *Hinc* jura, et obligationes legatorum ex duplici officio dignoscenda sunt, nimirum procuratoris, et ministri publici. *Procuratores* sunt, quia negotia sibi demandata nomine suae gentis gerunt, *Ministri publici*, quia negotia publica obire perfecte obligantur, sunt enim subditi. Non sunt autem legati, qui non sunt subditi ejus gentis, cujus agunt internuncios, vel licet sint subditi, sed non tractant negotia publica, vel licet sint, et subditi, et negotia tractent publica, eaque externa sed in territorio, vel tractent illa extra territorium, sed sine solemni mandato, quia legati sunt subditi, quibus gentes sua negotia cum aliis gentibus coram, et solemniter gerenda commitunt. Sed nec missio semper in legatis requiritur, quia fieri potest, ut subditus gentis, jam alia de causa sit in territorio alterius gentis, cum qua solemniter tractare jubeatur. Denique feminae etiam sunt capaces legationis, quia sunt subditae, et saepe aptae, ut negotia suae gentis cum aliis gentibus coram, et solemniter gerant.

§ 249.

Character legati est qualitas repraesentationis, quam legatus in rebus suae curae concreditis praesefert, quicunque enim nomine alterius agit,

eum

eum repraesentat, jam autem legatus et qua procurator, et qua minister gentis omnia ejus nomine agit. Character iste vel est *generalis*, quatenus legatus gentem mittentem tantum ratione solius negotii repraesentat, vel *specialis*, quatenus etiam dignitatem mittentis repraesentat, ut legatus perinde haberi debeat, ac si mittens ipse praesens esset. Ille est omnibus legatis communis, quia ex natura legationis intelligitur, legatus enim est gentis suae mandatarius, ergo eam in negotio sibi commisso repraesentat, iste vero non est omnibus communis, quia ab arbitrio mittentis dependet, potest enim legatus negotia suae gentis tractare, quin repraesentet ejus dignitatem: Deinde legatus cum speciali charactere habet titulum excellentiae, solemnem introitum, solemnem audientiam, jus tegendi caput in solemni audientia etc. quae ex diversitate negotiorum, formula missionis, et populorum moribus cognoscuntur, et ad jus gentium positivum pertinent.

§. 250.

Jus mittendi legatos illi tantum habent, penes quos est summum inperium, sive dein regna sint, sive respublicae, sive sint proceres imperii electivi durante interregno, immo etiam, qui inaequale habent foedus, aut nexum feudalem, quia jus mittendi legatos est jus majestaticum. Quando autem in bellis civilibus duo inter se decertant regni aemuli, tunc jus legationis habet is, qui est in possessione,

quia

quia in dubio ille pro imperante habendus est, in dubio enim melior est conditio possessoris; Atque, nisi gens legatum ab hoc missum agnosceret, laederet alteram gentem, in ejusdem enim negotiis arrogaret sibi judicium decisivum: Quod si tunc populus in duas partes sit divisus, uterque aemulorum habet jus mittendi legatos, quia tunc duae sunt pro tempore respublicae, jam autem quaelibet respublica habet jus mittendi legatos.

§ 251.

A Legatis veri nominis differunt: *Agentes*, quia hi intra, vel extra civitatem procurant privata imperii, vel civium negotia, *Deputati*, quia hi a subditis ad Imperantem, *Comissarii*, quia hi ab imperante ad subditos mittuntur, legati autem a gente ad gentem negotiorum publicorum tractandorum causa constituuntur. Debent autem legati habere *litteras credentiales*, seu scriptum testimonium publicae fidei, ex quo imperans, ad quem venit legatio, cognoscere possit, quis, et a quo, in quam rem, quali cum charactere, et potestate legatus mittatur, quia secus possent aliqui personam legati mentiri. Ab his vero discernendae sunt *litterae instructoriae*, in quibus mandati limites legato definiuntur, et agendi, concludendique modus penitius praescribitur, quia hae non solent cum gente, ad quam missus est legatus, communicari, quemadmodum litterae credentiales; *Hinc* si legatus fines mandati in litteris credentialibus expressos

pressos egrediatur, civitatem mittentem non obligat, quia nemo magis ex facto alterius obligatur, nisi quatenus se obligare velle declaraverit, Et gens contrahens potuit ex litteris credentialibus scire, legatum non habuisse potestatem contrahendi. Aliud foret, si conventio secretae tantum instructioni repugnaret, quia tunc fieret cum consensu imperantis in litteris credentialibus declarato.

§ 252.

His praemissis legati vel sunt *primi ordinis*, qui cum charactere speciali, vel *secundi ordinis*, qui cum generali charactere mittuntur: Porro ambo vel *ordinarii sunt, et assidui*, qui animo residendi ápud gentem, cum mandato generali veniunt, et rebus variis obvenientibus adhibentur, vel sunt *extraordinarii, et temporales*, quibus vi mandati specialis unius potissímum negotii gestio committitur, v. g. celebratio nuptiarum, vel gratulatio. Denique vel sunt *plenipotentiarii*, qui plenam habent potestatem tractandi, et concludendi negotia, vel *formularii* quibus tractare tantum licet, sed nihil concludere. Interim legatos praesertim primi ordinis decet esse viros dignitate illustres, quia debent agere vel eum imperante, ad quem mittuntur, vel cum primariis ejus ministris, ne secus naturalis, gentium aequalitas violari credatur.

§ 253.

Admittere legatum obligantur gentes jam perfecte, jam tantum imperfecte aliquando vero nec imperfecte:

Per-

Perfecte tunc, quando gens mittens' jus perfectum habet mittendi legatum, v. g. ut bona naufragio amissa quaerantur, ut res promissa praestetur, quia juri perfecto correlata est obligatio perfecta. *Imperfecte tunc*, quando gens mittens jus tantum imperfectum habet mittendi legatum, v. g. ut officia humanitatis exhibeat, quia juri imperfecto tantum imperfecta obligatio correlata est, *Nec imperfecte autem tunc*, quando gens mittens nullum jus habet mittendi legatum, v. g. periculosum, vel honestis conditionibus subscribere nolentem, quia nulli juri nulla est correlata obligatio. *Hinc* 1. potest gens legatum lubenter receptum, sed postea periculosum deprehensum territorio amovere, quia talem non obligatur admittere, ergo nec retinere sic etiam, potest legatum re peracta comiter dimittere, quia, qui hodie invaluerunt legati assidui, ad mores gentium arbitrarios referuntur, negotia enim non sunt continua. 2. Si dubium sit, quo jure mittantur legati, ad minimum in finibus territorii audiendi sunt, quia secus gens exponeret se periculo violandi obligationem perfectam, vel imperfectam admittendi legatum, quod non licet.

§ 254.

Dariesius putat semper necessitatis esse admittere legatos, quod secus gens mittens impediretur in exercitio juris mittendi legatos, Verum non impeditur tunc, quando nullum jus habet. *Gundlingius autem admissionem legati dicit semper esse meri arbitrii*, 1, *quod a cujusvis arbitrio pendeat alterum in domum suam recipere*

cipere, cum eo colloqui, et pacisci. 2. quod uti nemo obligatur mittere, ita etiam nemo obligatur admittere legatum. Primum tunc verum est, si alter nihil habeat, quod jure perfecto deberet proponere, secus falsum est, nam alterum impedire in exercitio sui juris non licet; Secundum autem sophisma est, a libertate enim morali unius non valet consequentia ad libertatem moralem alterius, alias sicut liberum est creditori debitum exigere, vel non, ita etiam liberum esset debitori illud solvere, vel non solvere.

§ 255.

Commeatus, sunt litterae, quibus facultas alicui fit, ut ad locum certum ire, et inde redire tuto possit, Quae gens obligatur admittere legatum, obligatur etiam illi dare litteras commeatus, quia secus inutilis, aut eluscria esset ejus admissio. Sed etiam aliae gentes regulariter legatis liberum per suum territorium transitum concedere debent, quia in regula est officium innoxiae utilitatis negativum.

Forte dices inutiles esse litteras commeatus, quod etiam sine his possit alienum ingredi territorium, Sed male, nam sine commeatu utetur solummodo jure privati peregrini, et ideo si ab hoste veniat, poterit tanquam hostis comprehendi; litteris autem commeatus instructus, acceptatisque litteris credentialibus fit persona publica, potestque etiam ad hostem tuto ire, et redire, quia pacta etiam hostes servare debent. *Sed sufficiunt ad hoc litterae credentiales.* Nequaquam, nam dantur ab imperante legati, quibus alterius gentis subditi obligari non possunt.

§ 256.

§ 256.

Jura legatorum sunt I *Quod sint sancti, atque inviolabiles*: quia neminem licet laedere, a fortiori talem non, qui integram gentem repraesentat, et cui gens in litteris commeatus inviolabilitatem promisit: *Hinc* major est obligatio non violandi legatum respectu illius gentis, quae admisit legatum, quam per cujus territorium tantum transit, quia ejus est composita obligatio ex naturali neminem laedendi, et adventitia per admissionem declarata; sed etiam gravius imputatur laesio gentibus; quae noverunt legatum imperantis non hostis quam quae ignorarunt, quia illarum actio dolosa est, harum autem culposa: Sanctitas vero legatorum tripliciter violari potest: 1. *dictis*, si afficiantur injuria verbali. 2. *factis*, si injuria realis illis inferatur, 3. *neglectu*, si nimirum cum honore aliis legatis exhiberi solito non recipiantur, rector enim civitatis alterum, cujus imaginem repraesentat legatus, ut sibi aequalem spectare tenetur.

§ 257.

II. Quod gaudeant *extraterritorialitate*, vi cujus licet sint in territorio, non sunt tamen de territorio, seu, quod sint immunes a jurisdictione gentis tam civili, quam criminali, apud quam commorantur, et quidem non tantum in negotio legationis, sed etiam in ceteris privatis actionibus, quia gentes, et imperantes ita sunt inter se aequales, ut unus alterius potestati non sit obnoxius,

jam

jam autem legati repraesentant gentes, et imperantes: *Deinde*, legati ut personae publicae, quae cum extraneis in statu naturali vivunt, alienum territorium ingrediuntur, tales autem immunes sunt ab alterius jurisdictione. *Denique* imperans, qui mittit legatum, ea conditione eum dimittit, ut sit immunis a jurisdictione, ne nimirum impediatur legatio, ergo admittens recipiendo legatum, et nihil excipiendo tacite consentire praesumitur in hanc immunitatem.

Sed peregrini ingredientes alienum territorium sunt de territorio, ergo etiam legati. Dispar est ratio: illi enim ut personae privatae, hi vero ut publicae, referunt enim imaginem imperantis aequalis, subeunt territorium, *Sed legati repraesentant imperantem tantum in negotio legationis, ergo in aliis actibus subsunt jurisdictioni.* Negatur consequentia, quamdiu hac de re tacitum inter mittentem, et admittentem imperantem subsistit pactum, secus enim legatus ab officio suscepto legationis avocaretur. *Sed possunt legati munus suum obire, quin sint immunes a jurisdictione quoad actus privatos.* Absolute concedo, hypothetice nego, id est, ut illud obeant absque avocatione ab officio, et decenter. *Sed leges romanae legatos subjiciunt jurisdictioni.* Imprimis leges romanae non unum errorem continent contra jus naturae deinde non loquuntur de veri nominis legatis, sed de urbium municipalium deputatis. *Sed tali immunitate possent legati abuti in perniciem civitatis, in qua degunt.* Nequaquam, sufficientia enim sunt in jure naturali remedia, quibus aequalis contra aequalem jura sua potest persequi: Legatus enim vel jam laesi-

onem

onem intulit, vel probabiliter illaturus est, vel actu infert, si *primum* potest vel dimitti, vel coram proprio imperante conveniri, qui si justitiam administrare recusaret, fieret ipse laedens: si *secundum*, potest publica teneri custodia, et interrogationibus subjici, aequalis enim contra aequalem habet jus securitatis, si *tertium*, qua injustus aggressor etiam occidi potest, non quidem per modum judicii, quia in statu naturali nemo sibi in alterum judicium arrogare potest, sed per modum necessariae defensionis. *Sed hac ratione melior est conditio legati, quam ipsius imperantis, hic enim in laesione deprehensus non remittitur, sed statim ad praestandam satisfactionem compelli potest.* Differentiae hujus ratio est, quod imperans careat superiore, non autem legatus, qui a suo imperante pro demeritis puniri potest.

§ 258.

Attamen huic immunitati quoad actus privatos possunt gentes renunciare, quia favoribus pro se introductis renunciare integrum est: quia haec immunitas nititur pacto gentium praesumto, sed si non aliter admittatur legatus, atque in id consentiat gens mittens, tunc adest in contrarium veritas, cui praesumtio cedere debet. Sic restricta est legati immunitas, si sit subditus loci, in quo legationem obit, quia in ejus arbitrio non est priorem conditionem exuere: Vel si legatus consensu suae gentis in alieno territorio munus quoddam suscipiat, quia omnis officialis subest jurisdictioni ejus, a quo munus habet.

Neque dicas per renunciationem immunitati legatorum factam tolli essentiam legationis. Quia legationis essen-

essentia in eo saltem consistit, ut possint gentes sua desideria sibi invicem tuto exponere. *Sed immunitas legatorum est juris naturalis gentium, cui renunciare non licet.* Est juris hypothetici, et pacticii *concedo*; absoluti, et necessarii, *nego*.

§ 258.

Sanctitas, et immunitas, legatorum pertinet etiam ad legati comites: *uxorem*, *libros*, *scribas*, *famulos*, *cursores*, *veredarios*, tum ad *vasa* seu suppellectilem, nec non ad *aedes*, quas inhabitat, ob quem finem aedium portis insignia suae gentis affigere potest, atque *currus*, quibus utitur: quia haec omnia communi legationis nomine veniunt, sunt enim accessio legati ad sustinendam ejus dignitatem necessaria, consequenter ex legati persona jus participant. *Deinde*, qui horum aliquem laedit, laedit ipsum legatum, tamquam caput legationis, legatus autem est sanctus. *Denique* ideo legatus est immunis a jurisdictione, ne avocetur a suo officio, sed avocaretur, si ejus familia subesset jurisdictioni, pro ea enim respondere deberet tamquam paterfamilias.

Hinc tamen haud sequitur a legati liberis, et famulis impune posse laedi cives. Quia in causis civilibus, aut minoribus criminalibus possunt a legato tamquam patrefamilias puniri, in gravioribus autem criminibus vel vincti mittuntur ad patriam, vel judici loci traduntur; ut ferat sententiam, aut latam exequatur, quia legatus qua paterfamilias in suos domesticos jus vitae, et necis non habet, sed nec ejus impe-

 rans

rans illud in alieno territorio exercere potest. Hoc tamen de secretario, et scribis legationis non debet intelligi, quia isti non referuntur ad familiam legati, sed sunt officiales mittentis, et ideo legati jure censentur.

§ 259.

Interim legatus tenetur solvere vectigalia, si exigantur, quia hoc non tollit aequalitatem, nam etiam aequalis aequali non tenetur gratis usum rerum suarum concedere; Deinde haec ipsa exactio ostendit, eum non nisi sub hac conditione admitti: sed nec licet legato merces vetitas, aut periculosas introducere, quia secus noceret saluti publicae, qualem nec admittere, nec retinere obligatur gens: Quod vero ejus bona attinet: *Mobilia* non possunt pignoris causa, vel ad solutionem debiti detineri, quia est immunis a jurisdictione territorii. At a bonis *immobilibus*, v. g. ab aedibus debet tributa pendere, quia talia jam antea juri territorii erant subjecta, jam autem veniente legato naturam suam non immutant. III. Denique jus legatorum est, quod possint in suis aedibus suam religionem exercere, quia quilibet in statu naturali vivens potest in sua domo Deum suo modo colere.

Si dicas legatum non posse in suis aedibus asylum concedere: ergo nec religionem exercere. Audito disparitatem: jus asyli est jus majestaticum, jus autem religionem exercendi est jus naturale. *Hinc* deliquentes subditos ad aedes legati se recipientes, ni ad media leniora dedandur, extrahere licebit, quia ejus aedes

des sunt quidem pro legato, ejusque familia, et rebus inviolabiles, sed non pro aliis praesertim cum diminutione juris territorialis.

§ 250.

Finitur legatio 1. si negotium fuerit impletum, ob quod legatus missus est, quia cessante ratione cessat rationatum. 2. si legatus avocetur a suo imperante, quia tunc adimitur ei agendi potestas, sine qua nulla est legatio. 3. si ab eo, ad quem missus erat, dimittatur, quia secum ipso tractare nihil prodest. Non finitur autem, si ipse legatus muneri suo renunciaverit, quia non est nudus mandatarius, sed simul officialis publicus, qualis invito imperante officio se abdicare non potest. 4. morte legati, quia mortuus nihil amplius agere potest. 5. morte alterutrius imperantis, quia incertum est, an successores velint eundem esse legatum, ideo in his casibus legatio novis litteris credentialibus instaurari debet. Aedes autem legatorum etiam mortuo legato manent inviolabiles, donec scripturae, et vasa legationis sint in tuto; sed etiam eorum privilegia non ante expirant, quam dum in patriam sunt reversi, ut adeo maneant inviolabiles, etiamsi ante eorum discessum inter ambas gentes bellum oriretur, quia admisso legato fides data est in litteris commeatus, eundem a gente nunquam violatum iri, fides vero data etiam hosti servanda est.

 Ca-

Caput IX.

De eo, quod justum est inter gentes circa belli initia.

§ 261.

Jus belli competit gentibus, quia jure naturae competit singulis, sed gentes utuntur jure singulorum: *Deinde* jus belli oritur ex obligatione se, resque suas conservandi, jam autem gentes etiam habent obligationem se, resque suas conservandi. Bellum ratione personarum illud gerentium vel est *publicum*, quod inter civitates geritur, vel *privatum*, quod inter privatos propria auctoritate fit, vel *mixtum*, quod ex una parte publicum est, ex altera privatum. Ratione autem formae, vel est *justum*, quod ab iis geritur, qui jus belli habent, vel *injustum*, quod illi suscipiunt, qui jure bellandi carent, in hoc sensu bellum publicum justum, privatum vero injustum est, quia jus belli gerendi competit tantum imperantibus, est enim jus majestaticum. *Hinc* reliqui, si arma corripiant, vel sunt *rebelles*, si ea convertant adversus proprium imperantem, vel *latrones*, si ea usurpent adversus extraneos; quorsum etiam magistratus, qui sine consensu imperantis, et milites, qui absque facultate praefectorum exercent hostilitates, referuntur, quia jus belli gerendi competit tantum imperantibus.

§ 262.

Item bellum publicum ratione causae vel est *justum*, quod ex legitima belli causa suscipitur, secus

secus *injustum.* Est autem legitima belli causa: sola laesio aliter indeclinabilis, quia non licet aliis mala inferre nisi ob solam laesionem, et quidem aliter quam bello, indeclinabilem, non licet enim adhibere media duriora, quamdiu sufficiunt leniora. *Hinc* circa belli initia duo potissimum sunt spectanda: 1. an vera subsit laesio, 2. an non alio modo possit declinari, quia sola laesio aliter indeclinabilis est justa belli causa. Atque hoc intelligendum est tam de bello defensivo, quam offensivo, sive istud fuerit *reparativum,* quod ad illati damni reparationem geritur, sive *punitivum*, quod ad securitatem a futura laesione obtinendam suscipitur, quia in omni bello ad legitimam causam attendi debet. Inde manifestum est posse aliquod bellum esse justum ratione formae, at ratione causae injustum, quia potest quis habere jus belli, et non habere justam belli causam, immo ratione formae potest esse bellum utrinque justum, quia utraque pars potest habere jus belli gerendi; At ratione causae utrinque justum esse nequit, quia secus una pars iure hostilitatis actus exerceret, et altera jure iisdem resisteret, quod contradictorium est. Sed et bella justa intuitu causae saepe sunt iniqua, quia cum nulla utilitate conjuncta. *Conf. meam expl jur. nat. eth.* §. 216.

§ 263.

Non est autem justa belli causa I. si aliqua gens officia erga Deum negligat, v. g. dedita sit ido-

idololatriae, blasphemiae, superstitioni etc., quia his criminibus alias gentes non laedit, sola autem laesio aliter indeclinabilis est justa belli causa. *Nisi* ejusmodi religioni esset addicta, ut humanas imolaret victimas, et peregrinos occideret, quia tunc laedit gentem, cujus cives occidit. II. si officia erga se negligat, v. g. non curet rem familiarem, dedita sit vitiis, non sepeliat mortuos, carnes humanas voret, etc. quia his imperfectionibus alias gentes non laedit; *Nisi* etiam peregrinos adventantes interimeret, aut captivis in bello non parceret ea de causa, ut eorum carne vesceatur, quia tunc adesset laesio. III. Si deneget officia imperfecta, v. g. sit inhumana, non promoveat externa commercia etc., quia propterea non laedit.

Forte dices cum Grotio licitum esse bellum ad poenam, si delicta manifestis naturae legibus adversentur, Verum in hoc sensu bellum punitivum non datur, quia non adest laesio. *Sed Dariesius dicit: obligatio alios perficiendi saepe tantum bello potest impleri.* Sed primo media officiis contraria esse non debent, dein falsum est religionem, et humanitatem armis promoveri. *Sed Hebraei varios populos facinorosos vi destruxerunt.* Omnino, sed non propria auctoritate verum expresso Dei mandato. Num. 33. *Sed blasphemia, aliquando etiam ingratitudo puniuntur legibus civilibus;* Disparitas, per haec enim civitas laeditur, sed non aliae gentes. *Sed saeculo XII. et XIII. erant expeditiones cruciatae.* Enim vero justitis earum unice fundar. potest in jure reparandi injurias christianis ab infidelibus illatas, et terras occidentis ab eorum incursibus salvas conservandi.

§ 268.

§ 264.

IV. Non est justa belli causa gentis vicinae mediis licitis *crescens potentia*, quia quae gens mediis licitis, v. g. nuptiis, commerciis, pactis suam auget potentiam, neminem laedit, quia secus gens haberet jus se perficiendi, et non haberet, atque debilis, vel pauper jus belli in divitem, et robustum semper haberet, quod absurdum est. *Nisi* mediis illicitis, v. g. per oppressionem aliarum gentium suas vires augeret, vel saltem animum proderet hostilem, quia tunc justus esset metus, ne et alias gentes aggrediatur, ergo ob jus connatum securitatis justa daretur belli causa. V. Non est justa belli causa, sola *aequilibrii conservatio*, est autem aequilibrium inter gentes, dum vires ita inter illas divisae sunt, ut una alterius impetum sustinere valeat, quia potest aequilibrium turbari citra laesionem alterius, v. g. per foedera, nuptias, jam autem sola laesio est justa belli causa. *Nisi* gens, quae rumpit aequilibrium, potentia acquisita abuti, et in aliena jura evagari velit, quia talis probabiliter laedet, ergo competit jus belli punitivi.

Objicit Dariesius: ab eo, cujus potentia nimis aucta est, probabiliter imminet laesio, quod patet ab experientia, debiliores enim a potentioribus opprimuntur, Primum generalitar falsum est, neque enim mala statim inferre velle praesumitur ob jus connatum bonae existimationis, qui ea inferre potest; Alterum autem verum est de iis, qui mediis injustis nimiam potentiam sunt adepti.

§ 265.

§ 265.

Sed nec sufficiunt. VI. Ad bellum jure inferendum *rationes svasoriae*, quae nimirum a solo privato commodo, et utilitate ducuntur, veluti cupiditate amaenioris sedis, desiderio plurium provinciarum, quia utilitas non est justa belli causa. Qui vero bella gerunt solius voluptatis, ac vanae gloriae causa, feritate belluas superant. Itaque jus solius convenientiae, sive opportunitatis est figmentum, quia quo jure ego solam meam utilitatem apud alterum quaererem, eodem jure ille ageret, ne sibi eandem eriperem, quod contradictorium est, quapropter utilitas tunc tantum locum habet, si quaeratur, an bellum per se justum etiam cum emolumento suscipi possit. *Hinc* inter rationes belli justificas, et svasorias haec est differentia, quod illae a belligerantibus soleant palam proferri, hae vero occultari.

§ 266.

Tametsi autem adsit laesio, non licet tamen tamdiu ad bellum provolare, quamdiu praesto sunt alia remedia se defendendi, quia illa tantum laesio, quae aliter, quam bello declinari nequit, est legitima belli causa. *Hinc* si de jure dubio sit quaestio et neuter litigantium jus suum sufficienter probare possit, instituere debent sermones, aut concilia legatorum, adhibere arbitratores, vel mediatores, aut litem decidi nesciam mutua conventione sive gratuita, sive onerosa componere, vel facere compro-

missum

missum, vel denique sorti honestae rem totam committere, quia ista sunt media leniora, quibus jus dubium inter homines in statu naturali viventes deciditur, gentes autem vivunt inter se in statu naturali. *Conf. meam expl. jur. nat. eth.* §. 214.

Grotius putavit haec incommoda praecaveri posse per commune christianarum gentium tribunal, Abbas autem S. Petri per comitia statum Europaeorum, Gundlingius denique per monarchiam universalem. Sed imprimis ista non existunt, et vix existere possunt, aequalitati enim gentium adversantur, *deinde* gentes non tantum cum gentibus christianis, et europaeis, sed etiam cum aliis incidunt in controversiam, *denique*, Monarchia universalis repugnat, sicut jus gentium positivum universale.

§ 267.

Male autem ad sortes licitas refertur certamen inter singulos, vel aliquot viros utriusque populi ea lege condictum, ut cujus populi athletae victores evaserint, illi alter populus debeat rem litigiosam praestare quasi probatione jam secuta, quia hoc est duellum, quod ad rem dubiam decidendam ineptum est medium, sed etiam in causis controversis leniora adsunt sortium genera, quam sit effusio humani sangvinis. *Nisi* populi alicujus res jam foret desperata, hostisque talem optionem permitteret, quia tunc non esset proprie duellum ad litem decidendam, sed medium unicum certam multorum cladem incerto paucorum periculo redimendi.

Incas-

Incassum autem provocas ad Alciati argumentum licitum esse inter duo mala minus eligere, Quia hoc verum est in conflictu officiorum, qui tamdiu non adest, quamdiu alia leniore sortis specie res dubia finiri potest. *Item ad pugnam Davidis cum Goliatho, aut S. Wenceslai Regis Bohemiae cum Radislao comite de Garime.* Quia quod licet Dei auctoritate, non licet statim etiam humana.

§ 268.

Denique etiamsi laesio sit certa, et indeclinabilis, praemitti tamen debent: retorsio juris, pignorationes, clarigatio, vel belli indictio, quia sunt media leniora. Est autem *retorsio juris:* actus, vi cujus extranei eo jure apud nos uti compelluntur, quo apud extraneos nostri concives utuntur, v. g. si cives nostri a nundinis, muneribus publicis in altera civitate excludantur, idem cum extraneis observare licebit, quia gentes sunt inter se aequales, et saepe haec via est idonea ad bellorum strages evitandas. *Verum* actus retorsionis ita debent ese comparati, ut ad juris laesi expletionem, et obtinendam satisfactionem valeant, quia secus essent vindicta, quae illicita est; *Hinc* legatos, vel obsides alienos occidere non licet, etsi nostri ad aliis interficiantur, quia hujusmodi factum malo, quod jam illatum est, avertendo, aut reparando non est idoneum,

§ 269.

Pignorationes vero sunt actus, quibus res, vel personae subditorum populi unius ab altero

populo

populo capiuntur, et pignoris loco detinentur, donec de injuria illata satisfactum sit. Hae vel sunt *represaliae*, dum res alterius gentis pignori capiuntur, vel *androlepsia*, quae circa personarum capturam versatur. Utraque fundamentum habet in jure gentium naturali, quia jure naturae quilibet creditor in rebus debitoris, et si illae non sufficiant, in ejusdem operis habet naturale quoddam pignus in securitatem debiti, jam autem gentes utuntur jure singulorum: In eo tamen est differentia, quod jure naturae in specie res auferantur debitori, ast jure naturali gentium bona cujuslibet civis pro debito civitatis sunt obligata, populus enim unum corpus morale constituit, in quo cives singuli veluti totidem membra, eorum vero bona tamquam partes in toto civitatis patrimonio continentur.

Grotius hoc jus putat non natura introductum, sed tantum moribus gentium esse receptum, quod nemo innocens pro nocente mulctari possit. Sed male, nam res, non velut privatis propriae, sed ut pars patrimonii universae civitatis laedentis occupantur, exterae enim gentes sicuti aliam gentem unice sub specie personae moralis agnoscunt, ita quoque singulorum bona, tamquam hujus personae moralis propria contemplantur.

§ 270.

Tunc autem potissimum pignorationes locum habent, quando suprema gentis tribunalia legitime requisita justitiam administrare denegant, vel pro-

trahunt

trahunt injuste, quia tunc alter lenior modus cogendi, ut laesio cesset, non datur, quam sint pignorationes. Attamen bona per repressalias capta tantum pignus sapiunt, quia praestita satisfactione restitui debent; personae vero per androlepsiam apprehensae jure obsidum censentur, quia in securitatem rerum praestandarum detinentur. *Jure repressaliarum* non nisi imperantes gaudent, quia est species juris cogendi, quod in civitate majestaticum est: *Hinc* subditi illud exercere non possunt, nisi auctoritate imperantis litteris, quas vocant *marcae* obtentis, quia illis jura majestatica non competunt; Sed nec duo cives ejusdem civitatis inter se, quia habent communia judicia, quorum sententiae omnimode acquiescere, omnemque vim, utpote fini civitatis adversam, intermittere tenentur.

§ 271.

Civitas tamen non tenetur ex debito a suo cive cum extraneis contracto, nisi se ipsam ea de re obstringat, v. g. non administrando justitiam, quia actio privati civis non potest civitati imputari, nisi sit ejus causa moralis: At tunc si per pignorationes civis aliquis laedatur, eum propria civitas debet indemnem servare, quia qui est causa damni, debet illud reparare, nam civitas, quae repressalias exercuit, usa est jure suo. *Denique* in rebus depositis, Legatis, et obsidibus illicitae sunt pignorationes, quia ea est harum rerum, et personarum

natura

natura, ut populus quoad has juri pignorandi renunciasse videatur, res enim depositae debent, quandocunque placuerit deponenti, restitui, legati sunt inviolabiles, obsides autem ob aliam causam detineri non possunt, jam autem ad jus, cui licite renunciatum est, non licet provocare.

Sed in dictis rebus et personis potest jus retorsionis exerceri, ergo etiam jus pignorationis. Disparitas est: Retorsio enim juris non est actus contra proprium factum, sed alienum, esset autem pignoratio.

§ 272.

Clarigatio est rerum, vel cujuscunque alterius juris clara voce facta repetitio. Haec ad justitiam belli offensivi necessaria est, quia media leniora durioribus praeferenda sunt, jam autem verba sunt lenius medium, quam arma. Belli indictio autem est expressa declaratio voluntatis jus suum vi armata persequendi. Haec post clarigationem fieri solet, quia continet minas, jam vero verba sunt lenius medium, quam minae. Interim facta clarigatione praetermitti poterit, quia in clarigatione tacite continetur belli indictio, ex eo enim, quod quis jus suum repetat, probetque, alter satis intelligere potest, modis placidis violentos esse successuros.

Equidem omitti posse clarigatio visa est Coccejo primo jure talionis, deinde si inutilis foret, denique si credatrr damnosa futura. Sed nihil horum dici potest, nam talio, seu vindicta illicita est, id autem inutile non est, quo posito absque omni vi haberi potest

test

test satisfactio, Damnosa denique potius esset omissio clarigationis, tunc enim populus armis lacessitus posset se contra aggressorem justa ignorantia tueri. Quod si tamen nec legatis, nec literis ullus pateat ad hostem aditus, omitti debet, quia est impossibilis; Sic etiam in bello defensivo, quia omni destitueretur effectu.

§ 273.

Si autem clarigatio fuisset omissa, necessaria est belli indictio, quia continet minas, si non satisfiat, sed minae sunt lenius medium quam vis: *Hinc* injuste is ageret, qui sub colore amicitiae, vel praestandi auxilii accederet terras alienas, et vi bellica eas sibi subjiceret, quia talis neglectis dolose mediis lenioribus provolaret ad duriora, quod injustum est. Sed etiam facta clarigatione necessaria est belli indictio tunc 1. quando spes est fore, ut alter metu ad jus tribuendum impellatur, quia quamdiu sufficiunt media leniora ad avertendam laesionem, tamdiu non licet adhibere duriora, 2. si belli indictio fuit promissa, quia pacta servanda sunt. *Ceterum* inter clarigationem, et belli initia tantum temporis debet intercedere, quantum requiritur, ut alter posit debitum vel agnoscere, vel denegare, quia scopus clarigationis est, ut possit satisfactio offerri, ad quod tempus requiritur, secus inutilis immo elusoria esset clarigatio.

Male itaque Grotius generatim asseruit: non esse opus interpellatione, si dominus rei suae manum velit injicere. Quia fieri potest, ut res aliena ab altero bo-

na

na fide possideatur, quo casu ante dominii probationem res cedi non debet.

§ 274.

Modi, ac ritus bellum indicendi sunt arbitrarii, modus enim substantiam rei non afficit; Olim per legatos, et praecones, in specie autem apud romanos per feciales, seu caduceatores bella denunciabantur, hodie per *manifesta*, seu libellos publicos, in quibus gentes justificas rationes suscepti adversus hostem belli exponunt. Haec debent bellum praecedere, quia continent belli indictionem, quae bello praemittenda venit; Nisi facta clarigatione ulterior denunciatio justae causae noceret, tunc enim possunt bellum inchoatum subsequi, quia facta clarigatione belli indictio praetermitti potest, praesertim cum nemo obligetur manifesto periculo incurrendi damnum se exponere. *Hinc* bellum publicum aliud est *solemne*, cui praemissa est belli denunciatio, aliud *non solemne*, quod nulla praecessit belli denunciatio, illud ratione solemnitatis justum est, hoc injustum.

§ 275.

A belli indictione differt ejusdem *publicatio*, illa enim fit ab aggressore ei, cum quo armata manu congredi cogitat, haec autem ab utraque parte belligerante tam propriis subditis, quam etiam aliquando aliis imperantibus, *propriis subditis ideo*, ut sciant, quid sibi durante bello in personas, et res hostiles liceat, et quomodo sibi ab

ho-

hostium impetu praecavere teneantur, civitatas enim talia damna raparare non obligatur; *aliis vero imperantibus propterea*, ut ex justitia causae sumant argumenta assistendi, vel saltem hostibus nostris nulla praestandi auxilia: Hunc in finem prodeunt etiam *antimanifesta*, seu confutationes manifestorum. Non raro etiam belli publicationi adduntur *littera evocatoriae*, quibus subditi, ut ex territorio hostili redeant, admonentur.

Caput X.

De eo, quod in hostem publicum licet.

§ 276.

Bellum publicum quod ratione formae, causae, et indictionis est justum, potest ratione modi, quo geritur, esse injustum: si nimirum vehementiora mala, quam scopus belli exigat, hosti inferantur, quia jus est tantum tot, et talia mala inferendi, quot, et qualia scopus belli postulat, ergo relinqua sine jure inferuntur, ergo bellum fit injustum ratione modi, quo geritur. Hujus quidem rei aestimatio in dubio judicio laesi relinquitur, quia is optime scire potest, quid sibi per laesionem decesserit, ideo etiam jus belli ad jura indefinita refertur; Attamen si vis ejusmodi adhibeatur, quae ad injuriam declinandam non est accomodata, *crudelitas bellica* vocatur, et justitiae etiam externae adversatur, quia talis vis laesioni non est proportionata, ergo ea utens

ex

ex laeso fit laedens, quod etiam pro foro externo injustum est; Sed etiam si remediis de se licitis populi belligerantes abutantur, poenas saltem fori interni non evadent, quia nullo jure abuti est licitum pro forro interno. *Conf. meam expl. jur. nat. eth.* §. 217.

§ 277.

Hinc in genere licitae sunt contra injustum hostem omnes molitiones, quae natura sua ita comparatae sunt, ut eidem laedendi voluntatem, vel vires adimere, atque ad praestandam integram satisfactionem permovere possint, quia ob conflictum officiorum sunt media necessaria ad laesionem avertendam, sed qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media necessaria: Atque haec tamdiu licita sunt, donec oblatis, vel acceptis, aut etiam vi extortis aequis conditionibus securitas, atque indemnitas gentis laesae sit obtenta, quia tamdiu durat laesio, et conflictus officiorum. *Quapropter* licitum est hostem quocunque loco, tempore, vi aperta, vel occulta, metu, siti, fame dearmare, quia sunt media apta ad scopum belli obtinendum; primum tamen ingenio, arte, ac prudenitia, et demum praelio est dimicandum, quia non debet vita hominum, aut sangvis sine necessitate profundi, quia in praelio amplius solet fortuna potestatis habere, quam virtus.

§ 278.

Et quidem vis bellica porrigitur tam in personas, quam res hostiles, hoc est tam in omnes, et singulos civitatis, cum qua bellum geritur, subditos, sine sexus, aut aetatis discrimine, quam in

 totum

totum patrimonium, quod ab universis vel immediate vel etiam mediate possidetur, quo pertinent etiam res incorporales, atque id, quod hosti tertius debet, quia haec omnia sunt hostis, cum quo bellum geritur. *Hinc* capi possunt non milites tantum, sed etiam alii, veluti viri dignitate conspicui, illustres feminae, ac virgines, et vel ad modum androlepsiae detineri, vel etiam ad subjectionem servilem cogi, immo si se opponant, invadi, vulnerari, et occidi, quia sunt media necessaria ad finem belli obtinendum, his enim hosti adimuntur vires laedendi, permoveturque ad eos redimendos, et pacem amplectendam.

§ 279.

At illi hostium subditi, quos exorto bello in nostro territorio deprehendi contigerit, non possunt illico capi, sed discedere volentes intra certum tempus dimitti debent, quia admisso peregrinis ingressu in territorium, etiam tuta discedendi facultas concessa esse intelligitur. *Sed etiam* peregrinis in solo hostili deprehensis, eorumquae bonis parcendum est, quia non sunt hostes. *Immo* etiam personam hostilem in territorio alieno pacato deprehensam violare non licet, quia secus violaretur jus territoriale gentis non hostilis. *Denique* bello capti non possunt illico in servitutem redigi, quia non licet media duriora praeferre lenioribus. Crudelitas autem bellica foret occidere senes, effoetos, infantes, pueros, feminas, aut religionis ministros,

qui

qui ab omni vi abstinent; aut captos, sed nullius praecedentis delicti reos, vel arma deponentes, aut eos, qui fortiter restiterunt in obsidione, seque dediderunt, quia horum occisio non est medium necessarium ad fines belli, sed sufficit illos capere.

Sed saepe in bello innermes interimuntur, v. g, si navis, domus, urbs tormentis impetatur. Ita, sed indirecte, et extra agentis propositum, ut adeo his mala non tam inferantur a justo aggressore, quam ab eo, qui sine jure resistit.

§ 280.

Intuitu vero rerum hostilium jure belli sequentia sunt licita: Res debitas hostibus retinere, mobiles eripere, immobiles sibi subjicere, fortalitia expugnare, et demoliri, contributiones militares pro viribus cujusque loci devicti exigere, immo et totum territorium cum imperio eidem adnexo in suam potestatem redigere, seu occupatione bellica acquirere, quia his vires nostrae augentur, hostis autem minuuntur. *Non licet* autem sine necessitate agros depôpulari, incendere urbes, destruere templa, imagines, sepulchra, et res, quae religionem unice respiciunt, quia his vires nostrae non augentur, hostis autem magis imminuuntur, quam scopus belli exigat, sed etiam cum religione bellum non geritur. *Neque* licet res hostium in alieno territorio pacato, etiamsi illud pars maris sit, occupare, quia secus violaretur gentis pacatae jus territoriale.

§ 281.

§. 281.

Praeda sunt res mobiles a militibus hosti ablatae. Hujus domini non sunt milites, sed gens belligerans, quia preda jure belli venit ad dominium, jus belli autem non militibus, sed genti competit: Potest tamen gens praescribere aliquid, et quantum singulis praedatoribus sit relinquendum, quia dominus de re sua potest pro libitu disponere. *Postliminium* est restitutio in pristinum statum rerum, ac personarum ab hoste captarum, si in potestatem suae gentis redeant: Jure postliminii gáudent et personae, et res ab hoste captae quia summa potestas subditos suos, eorumque jura contra vim externam hostium defendere tenetur. Hinc persona, postquam ex captivitate bellica ad suos redit, recuperat omnia jura, quae prius habuit, atque res recuperatae prioribus dominis restituuntur, quia hoc est jus postliminii.

§ 282.

Stratagema est simulatio, aut dissimulatio ad hostem circumveniendum adhibita, v. g. metum, aut fugam fingere, insolitas vestes induere, *exploratores* mittere, seu tales, qui apud hostem clam degant, ejus consilia, vires, statumque omnem expiscentur, ac prodant; Stratagemata sunt licita in bello, quia referuntur ad artem, et ingenium, his autem magis licet bellare, quam vi aperta, et praelio. At non licet veneno globos, sagittas, aquas corrumpere, et ita hostem interimere, quia usus veneni

veneni majora infert mala, quam scopus belli postulet, multi enim etiam inermes, et quos tantum capere, aut vulnerare suffecisset, interimuntur. Sed nec licet *percussores* immittere, id est tales, qui fugam, subjectionem, amicitiam simulant, ut ex insidiis, et dolo vel rectorem, vel belliducem exercitus hostilis interficiant, quia hoc remedium et utenti maxime periculosum, et generatim ad finem belli obtinendum minime idoneum, his enim licet occisis non tamen illico pax concluditur.

Sed licet ex improviso hostem aggredi, ergo etiam percussores immittere. Dispar est ratio: Illud est stratagema, hoc dolus; illud aptum, hoc vero ineptum medium laesionem declinandi.

§ 283.

Ita etiam illicita sunt stupra, adulteria cum victis, sicut prohibitum impuras feminas ad inficiendum hostilem exercitum submittere, quia jus belli neutiquam propagari potest ad media per se incongrua, et turpia, et profecto quid peccavit, aut quem laesit fides conjugalis, vel pudicitia, ut in hoste vim patiatur? Illicitum quoque est uti *magia superstitiosa*, quia imprimis inane est commentum, deinde repugnat officiis erga Deum negativis, quae semper et pro semper obligant, At ad magiam naturalem recurrere integrum est, quia pertinent ad media naturalia licita, sed non omnibus nota, estque stratagema. *Denique* non licet subditos hostiles ad proditionem sollicitare, quia etiam is peccat, qui alteri peccandi causam dat.

At inquies, licet a subditis hostilibus operam sponte ollatam acceptare, transfugas recipere, ergo etiam. Nego consequentiam, in primo enim casu non sum auctor perfidiae, sed illa patrata utor ad rem mihi licitam, ad minuendas vires hostis, in altero autem essem causa moralis perfidiae, quod non licet. *Sed jus ostis in hostem est indefinitum, et quod quis per se potest facere, potest etiam per alium executioni dare.* Verum primum axioma verum est de mediis tantum justis, et licitis, secundum autem patitur exceptionem, si ex parte exequentis adsit impedimentum personale, quale omnino est perfidia subbitorum.

§ 284.

Auxiliatores, vel belli socii sunt, qui genti bellum gerenti auxilia dant bellica: Quaelibet gens habet jus implorandi auxilia bellica, adeoque bellicam societatem ineundi, quia sunt media apta vires hostium frangendi, sed qui habet jus ad finem, habet etiam ad media necessaria. *Hinc* 1. quaecunque licent in hostem, ea etiam licita sunt in ejus socios, quia socii adjuvantes hostem, sunt etiam hostis. 2. Bellum uni genti indictum, omnibus etiam ejus sociis indictum censetur, quia socii sunt tantum accessio hostis principalis, atque unum est bellum, cui assistunt socii, sed in uno bello una sufficit belli indictio; *Nisi* unus quisque sociorum propriam causam persequeretur, quia tunc duae essent belli causae, et duo bella separata, ergo opus foret duabus belli indictionibus.

Di-

Displicet hoc Koehlero et Vattelio, qui belli socios distingvunt ab auxiliatoribus, priores sunt, qui ad communem injuriam communibus viribus vindicandam se associant, posteriores vero, qui genti bellum gerenti copias auxiliares ex foedere mittunt, illi sunt hostes, non item isti. Verum haec distinctio non a rationibus juridicis, sed potius politicis, seu svasoriis derivatur, genti enim bello implicitae saepe consultius est leniorem concursum tertii ad suam injuriam tolerare, quam vires illius hostiles contra se concitare.

§ 285.

Cum belli sociis, qui ex foedere dant subsidia bellica, non debent dividi res occupatione bellica acquisitae, quia non suo, sed ejus nomine, cujus causam defendunt, bellant, ergo non habent jus belli, ergo nec jus ad res in bello captas, *Nisi* per pacta fuisset acquisitum, quia juri permissivo licet renuntiare praesertim ad evitandas lites. Quod si gens socia peculiare bellum gerat in gratiam belligerantis, habet jus ad res occupatione bellica obtentas, quia habet jus belli, ergo etiam jus ad belli consectaria. Licitum autem est in bello justo auxilia praestare bellica, etsi nullum eatenus praecesserit foedus, quia licet alterum contra vim injustam juvare, tametsi nullum praecesserit pactum, ex solo enim humanae naturae vinculo alios perficere obligamur.

Propterea tamen, qui auxilium bellicum sine pacto praestat, se judicem bellantium non constituit. Quia tantum causam bellantium examinat, ut resciat, quid

sibi

sibi circa eam liceat, non vero decidit, quid bellantes sequi teneantur, secus etiam is se judicem bellantium constitueret, qui ex foedere praestat auxilia, nam etiam iste causam bellantium debet perpendere, non potest enim injusto hosti assistere. Sic improbum esset militiae genus, quo peregrini mercede conducti militarent sine ulla causae cognitione, fieri enim posset, ut apud injustum hostem militarent, quod non licet. Haec vero causae justitia ita cognoscitur: vel est notorie injusta. v. g. Legatus est occisus, aut carceri mancipatus, vel est dubia, quo casu bellum offensivum praesumitur esse injustum, defensivum autem justum. *Conf. expl. jur. nat. eth.* §. 216.

§ 286.

Neutralitas est status, vi cujus gens bello alieno se non immiscet, seu neutras bellantium partes sequitur. Jure neutralitatis uti potest quaelibet gens, quae nullo speciali foedere obstricta est auxilia bellica suppeditandi, quia ferre auxila alteri est actio positiva, in quibus ponendis, vel omittendis quaelibet gens vi libertatis naturalis sequi potest suum judicium. Quae gens alieno bello se non imiscet, vocatur pacata, in bello media, et neutralis: Ejus *officium* est a favore, et studio partium abstinere, hoc est, nullum conatum alterutri belligeranti peculiaria praestandi auxilia praeseferre, quia secus recederet a neutralitate. Hinc, si talis gens uni parti quid permittit, v. g. annonae coemtionem, transitum militum; idem etiam alteri debet permittere, quia alias non esset a studio partium aliena.

§ 287.

§ 287.

Gens neutralis non tenetur pati, ut in suo territorio hostis unus res alterius capiat, aut personas persequatur, quia regionis suae violationem admittere non obligatur, propterea enim, quod sit neutralis, non est hostis. Contrà, si urbi obsessae ad fovendam defensionem aliquid adveheret, ejus res sine injuria possent intercipi, quia fieret hostis, ob favorem enim uni parti praestitum non maneret media, sed hostis res sine injuria intercipi possunt. Quod si vero pangantur neutralitatis foedera, seu pacta, ut populus alteri populo non suppeditet auxilia bellica, propterea non prohibetur pacata continuare commercia, vel talia praestare officia, quae etiam pacis tempore debentur, quia ista non sunt auxilia bellica; Sed generatim gentes neutrales cum belligerantibus possunt commercium exercere rerum, quae in bello nullum usum habent, uti sunt res voluptuariae, quia per id nullum conatum produnt alterutri peculiaria praestandi auxilia, non tamen talium mercium, quae sua natura tantum in bello usum habent, uti arma, vel quae promiscuo in pace, et bello usui inserviunt, v. g. pecuniae, commeatus, quia his vires hostis augentur.

Caput XI.

De conventis bellicis, et pactis pacis.

§ 288.

Conventa bellica sunt pacta inter gentes belligerantes inita; suntque triplicia: vel conventiones bellicae,

cae, vel induciae, vel pactio pacis. *Conventiones bellicae* sunt pacta inter hostes, quae nec suspendunt, nec finiunt actus bellicos, sed ad aliam aliquam praestationem pertinent: Huc referuntur 1. pacta de permutandis vel redimendis captivis. 2. pactum de lytro, seu determinato pretio pro captivorum redditione solvendo. 3. pactum deditionis, vi cujus aut certa regio, urbs, munimentum, aut certae personae hostium potestati permittuntur; Pacta dedititia, si sub certis conditionibus celebrentur, vocantur capitulationes, quae vel honorabiles, vel minus honorabiles sunt, prouti favorabilibus pro parte victa clausulis sunt munitae, vel secus. *Attamen* captivo ante redemtionem mortuo lytrum non debet solvi, quia promissum fuit sub conditione, ut ex captivitate dimittatur, quae conditio mortuo ante redemtionem captivo deficit; Contra si redemtus iterum capiatur, ad novum lytrum obligatur, quia ex secunda captivitate dimittendus est.

§ 289.

Omnia autem conventa bellica de re possibili inita servari debent, quia ineuntur deposito animo hostili, et cum renunciatione juri hostili, secus enim saepe nec medio leniori ad declinandam laesionem uti, nec pacem, nisi secuta utriusque, vel unius saltem gentis belligerantis internecione reducere liceret, quod humanae societati repugnat, jam autem injustum foret ad jus jam remissum, atque extinctum provocare.

Incasum provocas, ad stratagema. Quia bellicorum conventorum violatio non est stratagema, sed men-

mendacium, et perfidia, quae semper illicita sunt, fides enim etiam hosti data servari debet, secus nullus foret conducibilis bellorum exitus, *Vel ad id, quod justus hostis non teneatur pacta ante bellum innita servare.* Disparitas enim est, nam in pactis ante bellum initis non est juri hostili renunciatum, de bello enim non cogitabatur, est autem renunciatum in pactis durante bello initis, nam secus non fuissent celebrata. *Hinc inanis est distinctio Puffendorfii inter pacta, quae ad pacem tendunt, et quae statum belli relinquunt, quod illa servari debeant, non item haec.* Quia quoad objecta, super quibus conventa bellica inita sunt, status belli cessat, quoad ea enim juri hostili renunciatur.

§ 290.

Induciae sunt pacta inter hostes inita, ut actus bellici ad certum tempus suspendantur: Aliae sunt *universales*, vi quarum omnis vis bellica, atque ubique cessat; aliae *particulares*, si per modum privilegii certis rebus tantum, vel personis immunitas a vi bellica concedatur, v. g. salva gvardia, vel liber commeatus, quarum conventionum quanta vis sit, ex iis, quae alibi de pactis, eorumque interpretatione tradita sunt, eruendum est, veluti an commeatus personae concessus porrigatur etiam ad ejus res, et familiam, etc. Item induciae vel sunt *armistitia*, quae ad breve tempus, et certi negotii peragendi causa ineuntur, v. g. ad mortuos sepeliendos, vel *induciae strictim sumtae*, quae ad longius tempus extenduntur. Jus faciendi universales, et longas inducias competit tantum

summo

summo imperanti, quia in his apparatus belli aeque ac in pace dissolvitur, ergo pax temporanea reducitur, quod jus majestaticum est; At particulares, et breves publici etiam ministri sancire possunt, quia vi officii, et administrationis belli suprema authoritate ipsis comissae tacita ad id potestate sunt instructi, saepe enim ista ad feliciorem belli exitum referuntur.

§ 291.

Quamprimum autem induciae confectae sunt, promulgari debent, quia respectu subditorum sunt lex, utpote voluntas imperantis, sed lex non promulgata non obligat: *Hinc* si ante promulgationem damnum inferatur, nec res ablata extet, nemo illud reparare tenetur, quia nemini potest imputari, ergo est casuale, casus autem nocet domino. Tempore induciarum non licet occupare loca ab hoste incustodita, aut vallum tormentis hostis jam labefactatum reficere, aut auxilium urbi laboranti mittere, aut praedas agere, quia isti sunt actus hostiles, qui tempore induciarum suspensi sunt; Ast moenia intra suos reparare fines, militem conscribere licet, quia hi actus non sunt hostiles, fiunt enim etiam tempore pacis. Quod si tempus induciarum finitum sit, hostilitates sine nova belli indictione renovari possunt, quia per inducias non finitur bellum, sed tantum actus hostiles ad certum tempus suspenduntur.

§ 292.

§ 292.

Si dubium oriatur, an tempus induciis adjectum sit elapsum, distingvendum est inter tempus *continuum*, v. g. triginta dies, et tempus *cum designatione termini*, v. g. a prima Julii usque ad primam Augusti: In priori computari debet tempus de momento in momentum, in altero autem genere, dies, a quo incipere dicitur mensura temporis, est etiam intra mensuram, contra dies usque ad quem dictum est duraturas inducias, exclusus intelligitur, quia iste est communis usus loquendi, et tempora computandi, jam autem ita facienda est dubiorum verborum interpretatio, ut ea in communi usu loquendi sumantur: *Sed etiam* si XXX. dierum pactae sint induciae, dies non naturales, sed civiles viginti quatuor horarum intelligendi sunt, quia finis induciarum est plena securitas ab actibus hostilibus, qui finis fieret elusorius, si hostes ab usu armorum noctu non desisterent.

§ 293.

Finiuntur induciae etiam perfidia, seu fide induciarum a parte altera non servata, quia perfidia unius pacta cessant: Attamen vis a privatis adhibita inducias rumpere non potest, quia factum privatorum nequit toti civitati imputari, sicut ergo induciae privata auctoritate non ineuntur, ita etiam rumpi non possunt, nisi imperantis approbatio accesserit. Hinc, si privati aliquid contrarium iduciis egerint, puniendi sunt, et res captae restituendae,

quia

quia alias privata violatio induciarum ab imperante tacite ratihaberetur.

§ 294.

Pactio pacis est publica inter gentes belligerantes conventio, qua bellum finitur; Hanc praecedunt *praeliminaria*, quae continent determinationem loci, et temporis instituendi congressus, modum tractandi, ordinem sedendi legatorum, quia licet jus concludendi pacem sit majestaticum, hoc tamen optime per legatam exercetur, nos imperantes democratici, aut aristocratici in unum locum convenire nequennt, monarchicorum vero congressum subinde impendentia vetant pericula, interim passim observatur ad praescindenda subterfugia, instrumenta pacis a legatis confecta ante solemnes ratihabitionum tabulas, utrinque commutatas plenae, et perfectae pacis vigorem non habere. *Vide* 1. *W. Hoffman diss. de observ. gent. circa praelim. pacis.*

§ 295.

Si pactio pacis fuerit inita, ac promulgata, cuncti conatus mala sibi invicem inferendi perpetuo, et in omne aevum desinere debent, quia facta pace suffertur causa belli. Et quidem contrahentes pactione pacis statim obligantur, ut primum fuerit facta, quia pacta paciscentes obligant a momento temporis, quo pacta inita sunt, subditi autem nonnisi post publicationem obligantur, quia pax respectu subditorum est lex, quae nonnisi promulgata obligat, vel a tempore convento, si nimirum ad

ditio-

ditiones dissitas notitia pacis cito perferri nequeat, solet praefigi terminus, a quo pax observari debeat, quia pacta sunt implenda. *Ad pactionem* pacis spectat etiam pactum subjectionis, quo populus devictus imperio populi victoris se submittit, item foedus inaequale, quia saepe pax nonnisi sub talibus conditionibus conficitur.

§ 296.

Reges impuberes, aut dementes nequeunt pacem concludere, quia non possunt jura majestatica exercere, At invasor, cui fidem dederunt subditi, potest, quia ad eum spectat imperii administratio. Sic etiam potest pacem facere Rex regni patrimonialis captus, quia in tali regno solus Rex potest de imperio, et de regno disponere, Non autem rex regni non patrimonialis captus, quia iste solus de imperio, et de regno disponere nequit, sed tunc pax ab iis fieri debet, qui vel jure successionis gaudent, quia isti habent jus quaesitum ad regnum, vel qui reliquam administrant rempublicam, quia jus condendae pacis pertinet ad exercitium jurium majestaticorum.

Vattelius docet regem captivum generaliter pacem concludere posse, quod habeat majestatem, quod non sit verisimile, ut populus voluerit regi hoc medium liberationis adimere: Equidem habet majestatem, sed non administrationem reipublicae, Et ibi non est opus praesumtione, ubi adest veritas, quod regnum alienare non possit.

§ 270.

§. 297.

In foro externo nulla alia via superest litem bellantium decidendi, quam transactio, quia lis eorum pro foro externo dubia est, quamvis enim alterutrius populi belligerantis causa semper sit injusta, hoc tamen agnoscere, aut saltem fateri uterque detrectat, neque ullus inter eos datur judex, lis autem dubia optime componitur transactione: Cujus ea est vis, ut vel omnia eo, quo sunt loco, relinquantur, vel in priorem restituantur statum, vel quaedam bello capta reddantur, alia retineantur, vel etiam alia insuper praestentur, quia transactio est pactum, quo dato aliquo vel retento, vel promisso a praetensione disceditur. Stipulatio tamen de restituendis bello captis ad res mobiles haud pertinet, quia has restituere foret impossibile, nisi quaedam expresse denominentur, quia tales ob certitudinem restituere est possibile, et ob pactum etiam necessarium. *Hinc* 1. pactio pacis justitiam, vel injustitiam belli non decidit, quia non per sententiam judicis, sed per transactionem, quae in lite dubia locum habet, concluditur. 2. falsa est doctrina *Coccei:* dari inter gentes jus quoddam victoriae, quia a facultate physica ad moralem nulla valet conclusio.

§ 298.

Rumpere pacem significat, factum sive positivum, sive negativum pactioni pacis contrarium ponere, seu litem de eadem re, ob quam bellum gestum

gestum fuerat, renovare; Hoc non licet, quia gentes, dum pactionem pacis faciunt, litem, unde bellum ortum erat, transactione componunt, ergo juri, quod habebant res suas vi armorum persequendi, renunciant, et debitum sibi invicem condonant, jam autem donationis non datur repetitio, et ad jus, cui renunciatum est, non licet provocare, pacta enim servanda sunt. At non rumpitur pax, si bellum ex alia causa inchoetur, v. g. ex obligatione assistendi foederatis, quia nova belli causa, novum jus belli tribuit. *Sed etiam* non derogat paci foedus bellicum cum alia gente ea conditione factum, ut, si alter populus pacem rumperet, eum velint aggredi, et rebus in pacis conventione acquisitis spoliare, quia per id nihil agitur contrarium paci, sed potius ejusdem securitas procuratur.

§ 299.

Pacem in specie constituunt articuli pacis, qui sunt singula pacis capita, in quibus de rebus praestandis singillatim est conventum, alii sunt *connexi*, in quibus convenitur de rebus ad eandem causam spectantibus, alii *diversi*, in quibus de rebus ad eandem causam non pertinentibus transigitur. Si alterea pars unum articulum non servet, etiam altera reliquos tam connexos, quam divisos rumpere jure potest, quia uno articulo pacis rupto tota pax rumpitur, singula enim capita alia aliis ex mente paciscentium inesse praesumuntur, ex eo, quod omnia iisdem tabulis inseri voluerint, deficiente autem conditione deficit conditionatum. Et licet diversi sint articuli quoad

18 obje-

objectum, una tamen tantum pax vocatur. *Nisi* diserta conventione aliud placuerit, quia tunc praesumtio cedere debet veritati. Peccata tamen subditorum pacem non infringunt, quia actio singulorum civium non potest reputari pro actione gentis, nisi in quantum consensus imperantis expressus, vel tacitus probari valet, quia tunc causa moralis ruptae pacis est imperans, qui sicut potest pacem condere, ita etiam rumpere.

§ 300.

Exceptione metus pax nequit irritari, quia pax involvit mutuam laesionum condonationem; Et nullus est judex, qui de injustitia metus posset cognoscere. *Hinc* pacem metu extortam non est opus juramento firmare, quia sine eo valida est, immo remisso etiam juramento obligaret, quia vinculum justitiae obligat etiam sine vinculo religionis: Sed nec potest alter obligationem pacis remittere, quam contrahentes, quia his tantum est jus quaesitum ex pace, quo nemo invitus privari potest. At pax in errore, et dolo substantiali inita, seu pax *Antalcidae dicta ab Antalcida duce Spartano, qui ita subdole pacem cum Persis in praejudicium Thebanorum confecit,* nulla est, quia fit sine consensu, error enim, et dolus substantialis tollunt consensum. Valida vero pace obligantur etiam successores, quia pacem summus imperans facit ex causa publicae salutis, ergo nomine civitatis, ergo est foedus reale, quod etiam successores obligat: nisi ex articulis pacis appareat pacem esse personalem, quia foedus personale paciscentium morte extingvitur.

§ 301.

Amnestia est malorum, quae partes belligerantes sibi durante bello intulerunt, in perpetuum sancita

cita oblivio; Alia est *expressa*, quae verbis expressis promittitur, v. g. de restitutione provinciarum, et locorum in bello ablatorum, de reparatione damnorum, et expensarum belli: Alia *tacita*, quae paci inest, tametsi de ea nihil expresse sit dictum; uti oblivio omnium praetensionum, quae fuerunt causa belli, remissio expensarum bellicarum. Haec tacita amnestia in omni pactione pacis pro foro externo continetur, quia facta pace ob eandem causam bellum amplius suscipere non licet, nam praeteritorum malorum aboletur memoria, deponuntur inimicitiae, quod amnestia est. Ad ea tamen non extenditur, quae ante, vel citra bellum debentur, v. g. ad debita civilia ante inchoatum bellum contracta, sive sint publica, sive privata, quia haec non ex vi bellica, sed ex jure, et utriusque consensu ortum habent, amnestia autem est illorum tantum malorum oblivio, quae belligerantes sibi durante bello intulerunt; *Neque* extenditur ad veniam delictorum, quae subditi adversus suum principem in bello etiam cum hoste patraverunt, quia per amnestiam transigitur tantum de injuriis inter belligerantes factis, et pro propriis hominibus, non alienis. *Ad belli socios* autem pertinet tacita amnestia, quia ad illos pertinet pactio pacis, unum enim idemque fuit bellum, jam autem omni pactioni pacis tacita inest amnestia, nisi cum his peculiare fuisset bellum, quia tunc duo erant diversa bella, jam autem uno ex diversis finito, non etiam finitur aliud

§ 302.

Executio pacis est actus, quo gentes sibi invicem ea praestant, ad quae se in pactione pacis obligarunt. Hinc 1. si promissio facta est pure, debet statim impleri, quia uti paciscentes lingva nun-

nuncupaverunt, ita jus esto: si autem facta est promissio cum adjectione diei, debet tantum intra praestitutum tempus impleri, quia ex pacto promittens non magis obligatur, quam se obligari velle declaraverit. 2. Res in eo statu debent tradi, in quo erant tempore conclusae pacis, adeoque res vi transactionis remittendas non licet deteriorare, corumpere, v. g. monumenta demoliri; immo res promissae una cum fructibus, et accessionibus sunt praestandae, quia secus promissum non servaretur, quod laedere est, et non licet. 3. si promissa est restitutio rerum in eo, in quo ante bellum erant statu, intelligitur ultima, quae ante bellum fuit, possessio, quia haec est promissionis substrata materia, jam autem verba praesumuntur substratae materiae esse conformia.

§ 303.

Cavendum est omne bellum injustum, quia in tali mera injusta homicidia, et latrocinia committuntur: Et licet pacem armis etiam injustis extortam pro foro externo servari oporteat, Dei tamen judicium ejusmodi bellatores, svasoresque non evadent. Sed etiam justum bellum non est illico suscipiendum, quia nihil magis turbat hominum societates, quam belli calamitas; pereunt homines, vastantur res, jacet agricultura, manufacturae, et commercium, inducitur rerum caristia, fames, saepe pestis, Deinde uti observat Sallustius: *bellum facile suscipitur, sed aegerime desinit, non enim in ejusdem potestate initium ejus, et finis est, incipere cuivis etiam ignavo licet, deponere, cum victores volunt.* Quapropter pax ab omnibus his infortuniis, et calamitatibus vacua, optanda, quaerenda, et etiam a Deo exoranda est.


Errata notabiliora

PARTIS I.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Corrige.*
131	6	Qui	Quia
141	1	exhibeamus	exhibeantur
145	15	non	nos
155	4	sint	sit
156	8	que	quae
216	5	qua	quia
223	21	sum	usum
260	3	ab	ob
Ibid.	4	primogenitio	primogenito
Ibid.	5	quia	quis
318	5	rectus	rectius
324	1	sit	fit

PARTIS II.

11	1	potest	post
53	16	alia	talia
59	24	positio	posito
67	28	boni	bona
71	13	qui	quia
83	27	enascrerentur	enascerentur
121	4	tatis	talis
154	22	fit	sit
241	7	libros	liberos
256	1	civitatas	civitas
270	9	Legatum	legatos
Ibidem		nos	nam.


ausgeschieden


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 11 13 01 08 011 5